1925

DE CONCILIORUM PRIMORUM INDE A PRIMO SECULO USQUE AD INITIUM DISCORDIARUM ARIANARUM HISTORIA OCCASIONE ET FORMA.

COMMENTATIO HISTORICO-ECCLESIASTICA

PROFESSORIBUS

ALMAE SCHOLAE THEOL. ARGENT. OBLATA

AUCTORE

EMANUELE BRAUNWALD,

ARGENTORATENSI.

Et tentasse juvat.

ARGENTORATI,

Typis Joannis Henrici Heitzii, Director. Typogr.

MDCCCXV.

Dum luci publicae civium suorum specimina permittunt, diserte praefantur Professores Scholae Theol. Aug. Confess. Argent. et laudis et reprehensionis discrimen omne, integrum remanere commentationis cujusque Auctori.

PRAECEPTORIBUS DILECTISSIMIS, CLARISSIMIS

ATQUE OPTIMIS

VIRIS SUMME VENERANDIS

IOANNI LAURENTIO BLESSIG

S. S. THEOL. DOCTORI ATQUE PROF. PUBL. ORD.

SUPREMI SENATUS ECCLESIASTICI

AUG. CONFESS. MEMBRO ECCLESIASTICO

ECCLESIAE INSPECTORI

AD AEDES PRAEDICATORUM PRAECONI

ET

THEOPHILO IACOBO PLANCK

S. S. THEOLOGIAE DOCTORI

ATQUE

PROFESSORI PUBLICO PRIMARIO

ACADEMIAE GEORGIAE AUGUSTAE

GOETTINGENSIS

CONSISTORII PRAESIDI

HASCE

HASCE STUDIORUM PRIMITIAS

PII ET GRATI ANIMI SIGNIFICANDI CAUSA

SACRAS DEDICATASQUE ESSE VOLUIT

AUCTOR.

PRAEFATIO.

Ratio, quae me, dum legibus academicis eram obsecuturus, ut tam vastae molis operi me accingerem, permovit, non in arrogantia quadam mea, sed in eo potius quaerenda est; quod Cel. *PLANCKIUS unus ex illis qui juveni stadium academicum currenti benevole manum praebuerunt, me ad id tentandum magnopere exhortatus est.*

Talis viri *auctoritati morem non gerere non poteram, itaque otio Gœttingensi, tanquam opportunissima occasione, ita usus sum ut quaecunque ad materiam pertinerent, avide corraderem.*

Hîc mihi confitendum est ingenue, quantum huic operi perficiendo contribuerit, tum PLANCKII, aestumatissimi viri, *summa comitas atque erga me singularis amicitia, consilia mihi ab* Illo *largiter impertita, nec non*

Ejus crebra admonitio ne arduo negotio perterritus animum desponderem : tum etiam immensus Bibliothecae academicae thesaurus, ceteris literarum generibus, inprimis autem ecclesiasticae et conciliorum historiae fontibus praedives, cujus mihi benignissime concessus fuit usus.

Quos lucubrationum mearum fructus, VOBIS, PROFESSORES ATQUE *EXAMINATORES SUMME VENERANDI, amori ac indulgentiae VESTRAE firmiter confidens, offerre conor.*

Hanc expetentis fiduciam satis excusatam habebitis, reputantes, commentationem hanc non esse nisi juvenis literarum stadium vix ingressi tentamen, multo labore ac virium contentione exaratum.

Scripsi die X Julii MDCCCXV.

AUCTOR.

DE

CONCILIORUM PRIMORUM,

INDE A PRIMO SECULO

USQUE AD INITIUM DISCORDIARUM

ARIANARUM

HISTORIA, OCCASIONE ET FORMA.

PROLEGOMENA.

Ad christianae Religionis ingenium, origines et progressus accuratius cognoscendos, *concilia* sunt maximi momenti: quippe per ea fidei, morumque doctrina, et melius definiatur, et communis doctrinae norma proponatur; nec non eorum canonibus jus ecclesiasticum innitatur.

Concilia proprie *duo* maxime sibi *proposita* habebant:

Primo de *doctrina*, tum de *ritibus*, s. de Religione et ecclesiae disciplina, — ut verius constituerentur et in angustiores fines redigerentur — decernebant. *a*)

---

a) Socrates et Theodoretus his duabus formulis dicendi: δογματιζειν et κανονιζειν uti solent.

Concilium — Συνοδος — Praesidis ecclesiae aut Principis auctoritate convocatur ad certum locum, citatis ecclesiae doctoribus, aliisve *ad decernendum idoneis, plurium ecclesiarum, viris;* ut de doctrina, aut ecclesiae disciplina, regulae certae statuantur, rationes, viaeque inveniantur, quibus nuperrime nati errores aboleantur, ritus antiqui sanciantur, ut sic doctrina pura restituatur et cultus denique ad certam formam redigatur. *a*)

Horum nonnisi *tria* exstant *genera:*

I. *Concilia generalia* — Συνοδοι οἰκυμενικαι *b*) — *oecumenica, universalia, plenaria;* quorum habendorum ratio erat:

Primo: ad quae cuncti clerici ecclesiae, Praeside aut Principe convocante, conveniebant; vel: ad quae sat magnus Episcoporum numerus confluebat; vel etiam ea quorum canones a plurimis — aut saltem multis — ecclesiis accipiebantur. *c*)

---

a) Bingham in libro: Origines sive Antiquitates ecclesiasticae (versione Grischovii) Tom. I. pag. 123.

Walch (Chr. Guil.) in: Entwurf einer vollständigen Historie der Kirchenversammlungen, pag. 3. sqq.

Fuchs, Bibliothek der Kirchenversammlungen, T. I. pag. 10 et 11.

b) Romani, tempore quo imperium nondum divisum erat, possessiones suas οἰκυμενην scil. γην s. χωραν appellabant.

Salmon, traité de l'étude des conciles; Part. III. pag. 552. (Ed. 4. Paris 1724.)

Spittler in: Geschichte des canonischen Rechts bis auf die Zeiten des falschen Isidors, pag 44. in observat. i.

c) De conciliorum numero, eorumque recta definitione, inter eruditos convenire neutiquam potest: cuivis quippe quam vult notionem, animo sibi fingere licet. Donec enim Christi cultores imperatoribus, ethnico cultui deditis, obediebant, et antequam

II. *Concilia particularia* ea sunt:

Quae ab Episcopo aut — posteriori tempore — a Principe, in unum convocabantur. Ad haec vero singuli, tantum plurium provinciarum, clerici, seu *unius* tantum provinciae conveniebant — *concilia provincialia* — ut de rebus fidei aut de dissidiis in singulis ecclesiis exortis, et ad singulas ecclesias pertinentibus, statuerent. *a*)

Referenda hic etiam sunt:

1. *Concilia patriarchalia*, s. concilia, ab Episcopis, Patriarchis aut Metropolitis praesidentibus, habita.

2. *Concilia metropolitana*, s. Episcoporum concilia, Metropolitis praesidentibus.

3. *Concilia dioecesana*, s. clericorum concilia ex ecclesiis ruralibus, quae unius Episcopatus fini-

---

haec Religio publici juris auctoritatem nacta erat — quod demum imperante Constantino M. evenit — concilia oecumenica convocare, res ipsa vetabat. Cuinam tandem, iis temporibus, hujus rei faciendae potestas contigisset? et quis, si cui in mentem venisset, morem gesturus erat? Hoc nonnisi Principibus et Episcopis, *mandato ab illis accepto*, licere potuit. Accesserunt huc vexationes Christianorum, quarum unumquemque timor retinuit, ne in concilio se Christianum profiteretur, quo facto atrocissima quaeque supplicia praesagire poterat. Quae perpendenti concilia, tunc oecumenica vocata, nonnisi *nationalia* s. ex singulis gentibus conflata, fuisse videbantur.

a) Huc omnia concilia, ante Constantinum M. habita, referenda sunt. Hujus speciei conciliorum, seculis primis, Laïci participes fiebant. Postquam Religioni christianae publica auctoritas addita erat, aut temporibus quibus Principes ei bene volebant, concilia haec ipsa Principum tutela fruebantur.

Cf. Walch l. c. pag. 14.

bus continebantur, convenientium, praesidente Episcopo urbano, habebantur. *a*)

III. *Concilia nationalia*, quae ex *totius Imperii Episcopis* formantur, nec, ut particularia, ab ecclesiae Praeside, sed a *solo Principe* convocari possunt. *b*)

Concilia posteriora constabant tantum e clericis, scribis et personis, quas Princeps eo miserat, ut earum pars res tractatas conscriberent, pars vero tractanda audirent, Principis voluntatem proclamarent, ut legibus, si quae contra rempublicam rogatae forent, intercessionem facerent, eoque modo cuncta gubernarent. — Episcopus ipse qui praesidium gerebat, nihil erat, nisi delegatus Principis.

Cave discrimen negligas, inter haec concilia et

---

a) *Dioecesis*, sensu ecclesiastico et politico, dicebatur regio, quae *plures* provincias continebat.

Sub voce: „Συνοδοι ἐνδημȣσαι" intelligenda sunt ea: quae in urbe magna, distributa per plures ecclesias — parochias urbanas — praeside communi Episcopo, cui simul regimen ecclesiae cathedralis — ubi cathedra Episcopi stabat — demandatum erat, habebantur. Quando quidem eo ipso tempore plures Episcopi — quod Constantinopoli non raro accidit — adfuerunt, et hi ad concilium invitabantur. Veluti an. CCCXLVIII. ἐν τοιαυτῃ συνοδῳ ἐνδημȣσῃ Eutyches cum sua doctrina a Flaviano condemnatus est.

b) An Principi jus contingat, se rebus Religionis immiscendi? vide Feder in: Grundsätze des Naturrechts. §. 50. p. 85.

Reinhard in System der christlichen Moral. Tom. III. §. 346. p. 647. seqq. praecipue: C. G. Henkel, Dissert. de potestate Principis circa jurisdictionem et disciplinam ecclesiast. Witt. 1686. Haec concilia post Imperii Romani divisionem frequentius occurrunt. Persaepe etiam *concilia primaria*, in quibus quidem Metropolita primarius praesidium gerebat, nominata sunt.

1. *Conciliabula*, s. talia concilia quae *non more tradito* instituebantur vel habebantur. Idem nomen transferunt scriptores in *concilia ab haereticis habita.*

2. Ita etiam *convocationes* et *congregationes*, quae persaepe in Franco-Gallia et Anglia congregatae inveniuntur.

3. *Colloquia* s. conventus singulorum clericorum, *diversarum Religionum*, de doctrinae diversitatibus inter se colloquentium, unionis, si fieri posset, conciliandae gratia.

4. *Comitia*, ad quae saepe singuli Theologiae doctores, ob causas ecclesiasticas dijudicandas, se contulerunt.

CAPUT PRIMUM.

De conciliorum primorum origine atque historia.

Jesus generosissimus et maximus qui unquam inter homines exstitit, divino Spiritu afflatus, humani generis saluti se totum consecravit; qui pro doctrina ea, cujus auctor ipse erat, nullas non vexationes subiit, imo crudelissimo crucis supplicio affectus est. Hic, inquam, sapientiae virtutisque praeceptor, nullum Apostolis *disertum* dedit *praeceptum*, quod in evangeliis quidem contineatur, de constituenda ecclesia. Hanc rem arbitrio Apostolorum commisit, ut ii doctrinam latius disseminarent, nullum tamen imperii studium affectantes, quo in munere se eos ad sublimiora tendentes, sancto Numine adjuturum pollicitus est. *a*)

Judaeis, eodem, quo contra novae Religionis auctorem, flagrabant odio, etiam in ejus sectatores incensis, hi innocentes viri, pericula summa evitaturi, societatis suae vincula arctius constrinxerunt; omnibus viribus annisi, ut morum integritate, vi-

a) Matth. XVIII, 18; Joan. XX, 19, 22, 23.

taeque sanctitate caeteris antecederent; ita enim persecutores facillime de salutiferae doctrinae sublimitate persuasum iri, recte opinabantur. Hinc *arcta* inter singulos *connexio* ecclesiis formandis ansam dedit, inter quas Hierosolymitana quasi fuit primogenita. Cui cum et extranei Judaeorum adhaererent, necesse erat, ut conventus ille caeteris celebrior evaderet. *Haec est origo ecclesiarum christianarum. a*)

Jam vero primum et maximum hoc esse debuit: ut doctrina Christi in his ecclesiis latius divulgaretur. Quam ob rem Apostolis curandum erat, ut ipsis, in alias terrarum plagas avocatis, his ecclesiis idonei viri et praeceptores praeficerentur, qui praecepta Apostolorum sequentes Christi doctrina ecclesiam quamque imbuerent. *b*) Ne vero docendi, animisque prospiciendi munus in tyrannidem degeneraret, provisum fuit, ut causae graviores, ad salutem ecclesiarum pertinentes, communi consilio ab ipsis Apostolis tractarentur, ac nonnisi post accuratam deliberationem, ratae haberentur. *c*)

Jam Apostoli, Magistri jussu, in varias terras digressi, conditis a se ecclesiis, quibus prima jam lineamenta Religionis tradiderunt; idoneos praecep-

---

a) Cf. J. H. Boehmer, Origines J. E. Cap. I. De origine et constitutione eccl.
Ejusdem, XII. dissertationes J. E. antiqui. Dissert. III.
Vitringa, Synag. vet. Lib. I. P. I. C. I. pag. 86. seqq.

b) 1 Corinth. III, 11. sqq.

c) 1 Petr. V, 3; 1 Tim. V, 1 et 19; 2 Tim. II, 1 — 6; Actor. I, 26; XI, 1; XV.

tores praefecerunt. Quoties Christiani a persecutoribus premebantur, Apostolorum paternum consilium afflictis nunquam defuit.

Hac conditione ecclesia christiana, *usque ad seculum quartum*, ut societas a civitatis rationibus separata, permansit. *a*)

Simulac plures *Christiani b*) in *unam ecclesiam*

---

a) *Literae* mutuae, quas *Jesus et Abgarus*, (Agbarus) rex Edessae, misisse sibi dicuntur et quarum exemplaria Eusebius H. E. I. 13. scriptis suis mandavit, ut vero videtur simile, *non sunt genuinae*, nec quidquam probare possunt.

Eusebius quidem ad tabularium publicum, ex quo exemplaria ipse accepisse contendit, — quod ego ei libenter concedo, — nec non ad consensum Ephremis Syrii, diaconum Edessae, et ad Procopium, a quo idem affirmatur, provocat. Quae tamen testimonia sequentibus argumentis debilitantur:

1. Absoluti in evangeliis, de hac re silentii, ratio excogitari nequit.

2. Nonne librorum sacr. scriptores, hanc rem, memoratu dignissimam, in scripta sua retulissent, si vere accidit? Aut num in mentem induxeris, Christum plane de hac re taciturum fuisse?

3. Nonne autographon Christi suis scriptis Apostoli, quasi documentum, praefixissent? Quid igitur, nisi falsitas narrationis, ex omnium, qui Eusebium praecesserunt, scriptorum unanimi silentio merito effici potest?

Meretur de hac materia legi:

J. Basnage, histoire des Juifs. Tom. I. P. II. pag. 500. seqq.
Grabii, spicilegium veter. Patr. Tom. I. p. 7. sqq.

b) Nomen *Christianorum*, vel ortum, vel saltem primo in ecclesia Antiochena, usurpatum est. (Actor. XI, 26.) Plurimi credunt, *ludibrii* causa, hoc nomen datum esse, ut quasi sectatores hominis qui se pro rege destinato dedisset, significet. Igitur ab *Uncto* (χριστος) quasi *Unctiarii*.

Cf. Buddei dissert. de origine, dignitate et usu nominis Christianorum. Nomen χριστος et χριστιανοι mox a Romanis et Graecis in χρηστος et χρηστιανοι mutatum est. De quo vide dialogum: ὁ πατηρ της πατριδος Luciano false attributum; et Suetonium in Claud. Cap. 25.

congregati erant, in hoc congressu, quamvis parvo, necessitates etiam quasdam oriri necesse erat. Principio, *fortasse*, in ea domo, qua convenerant, tantum de Jesu sermones faciebant, rerum sacrarum constituendarum consilia capiebant, aut denique aliquis sententiam, de re aliqua ecclesiae commodo serviente, ferebat. De his vero deinde ecclesia tota in deliberationem venit, sententiam examinatura, ut decerneret: an sit probanda nec ne? Viri sapientissimi atque iidem etiam ipsi doctores ecclesiarum, — nam per maximam partem seculi primi, omnibus aequa docendi potestas erat — sine dubio, saepissime in consilium advocabantur. *a*) Ipsi verba faciebant, et difficultates et commoda sententiae illius, ecclesiae clarius exponebant; adire etiam solebant Apostolum, in vicino morantem, praecipue, si fieri potuit, ipsum ecclesiae conditorem; ita ut statum ecclesiae scripto ei exhiberent, et ab eo peterent, ut quid optimum factu esset, edoceret. *b*)

Accidit etiam ut de ritibus, de celebrandis conviviis sacris, de eleemosynarum distributione, de recipiendis novis civibus, de puniendis scelestis di-

---

a) C. L. Ziegler, Versuch einer pragmat. Geschichte der kirchlichen Verfassungsformen in den VI. ersten Jahrh. pag. 4. sqq. Exeunte primo seculo, cum docendi libertas circumscriberetur, et docendi munus *hominibus certis* mandaretur, sine controversia, doctores, ab Apostolis instituti, erant, qui, in hujus modi concionibus, verba faciebant.

b) Veluti ecclesia Corinthiaca, cujus proceres, ut vero videtur simile, de carnibus victimarum, de jungendis matrimoniis, de ingenii dotibus, Paulum Apostolum epistola scripta consuluerant, cui Paulus in prima epistola ad Corinthios respondet.

vergentes sententiae proponerentur: aut in ecclesiis, quae jam incrementa amplitudinis ceperant, doctores prodierunt, qui, quoad normam fidei, paululum inter se discreparent: *unde haeresium origo ducenda est;* aut defendere se volebant ab opprobriis foedissimis quae in Christianos congerebantur; quid igitur naturae convenientius erat, quam concilia, quorum auxilio, his et aliis, modus poneretur? Adde quod *primi Christiani* omnes fere *Judaei erant,* quibus, ut ad talem morem adsuetis, nonnisi consuetudini inhaerere opus erat. *a*)

Hac potius, quam omni alia ratione, colloquia cum provocatione ad Apostolos, quae in ecclesiis solemnia erant, explicari posse videntur.

Hinc apparet, quam male fundata sit opinio: quae conciliorum institutioni *divinam originem* asserit, — quamvis multi viri docti, e Catholicis et Protestantibus, hanc conciliorum esse originem censuerunt. *b*)

Communia commoda erant, ex quibus concilia prima et conventus ecclesiastici prodierunt. *c*)

Si quando ecclesia causam aliquam arbitrio suorum doctorum committere non poterat, eam aut vicinae ecclesiae arbitrio relinquere, aut principes ejus invitare solebant, ut, *die certa,* ad ecclesiam, ubi lis agebatur, deliberandi causa convenirent.

---

a) J. H. Boehmeri, XII. dissert. J. E. antiqui. Dissert. VIII. p. 410.

b) Scherzer, Systema Theolog. p. 672 sqq. Art. de ecclesia.

c) Walch, l. c. pag. 7.

Spittler, l. c. pag. 38. sqq.

Quod si, nec ea, nec multae aliae ecclesiae, rem dijudicare poterant, totam rem ad Apostolos, ad supremum tribunal, deferebant, ejusque responsum ut sanctam inviolatamque normam habebant.

Sic me delatum sentio ad quaestionem, quae jam per longum tempus, diversis disputationibus ventilata est; ad eam nempe:

Utrum Apostoli ipsi conciliorum auctores fuerint? aut

An concilium Hierosolymitanum — Actor. XV — exemplar reliquis omnibus fuisse; statuendum sit?

Operam dabo, quantum ingenii mei facultas permittet, ut hujus conventus Apostolorum et Presbyterorum, Hierosolymis habiti, naturam et rationem exponam; diligentissime perquirendo: an, secundum, supra in prolegomenis, datam notionem, pro concilio haberi possit?

Occasio et exitus hujus concilii hic fere fuit: *a*)

In ecclesia Antiochena, lis de usu circumcisionis conflata erat: an homo ethnicus fidei christianae nomen daturus, praecepto Levitico de circumcisione quoque teneatur, nec ne?

Judaei quidam, ad novam Religionem traducti, censuerunt: ad aeternam vitam perveniri non posse, nisi quis circumcisionem subierit. Cui quidem errori Paulus et Barnabas strenue sunt obluctati. Hinc fac-

---

a) Cf. A. H. Niemeyer, Charakteristik der Bibel. Tom. I. pag. 174. seqq. (Ed. 1778.) et Schroeckh, christl. Kirchengeschichte. Tom. II. pag. 114. seqq.

tum est, ut ecclesia Antiochena legatos, Hierosolymas mittendos, eligeret, qui rem ad Apostolos Presbyterosque, in urbe morantes, deferrent, petentes, ut, quod iis videretur, pronunciarent. Legatorum munere quidem Paulus et Barnabas, cum Christianis quibusdam, fungebantur. Postquam Hierosolymas advenerant, litis causam ad ecclesiam detulerunt. *a*) Nonnulli in ecclesia Hierosolymitana Christianorum, disciplinae pharisaïcae addictorum, ut Proselytae gentilium circumciderentur opus esse contendebant; *b*) Christi doctrinam nil praeter *Judaismum emendatum* esse, arbitrantes.

Nunc prodiit Petrus oratiunculam habiturus, in qua Christi Religionem, non in ritibus externis observandis, sed in sola animi sinceritate et fide, positam esse, praeclarissime exposuit. Post eum verba fecit Jacobus, et quod Petrus dixerat, loco *Prophetae cujusdam c*) confirmavit.

His confectis, ecclesia deliberavit et, Jacobo suadente, tale fecit decretum:

Proselytas gentilium circumcidi opus non esse,

---

a) Quod quidem *scripto*, ut omnem errorem anteverterent, factum esse, vero videtur simillimum. Nam alioquin dici potuisset: Paulum et Barnabam rem ita enarrasse ut causa vincerent; vel rem ab Apostolis non recte perceptam esse. Propterea Apostoli ipsi responsum scriptum exhibuerunt.

b) Quanto opere Pharisaei, ut omnes masculi circumciderentur, urserint, testes sunt:
JOSEPHUS, Antiquit. Judaïcar. Lib. XX, 10. et
JUSTINUS Mart. in: Dialogo cum Tryphone Judaeo.

c) Amos IX, 11 et 12.

modo a sanguine, a carnibus victimarum, bestiarum suffocatarum et a scortatione abstinerent. a)

---

a) Cf. Deuteron. XI, 16; Levit. III, 17; VII, 23, 26; Genes. IX, 4; Numer. XXV, 2, 3.

Invenimus praeterea, in actis Apostolorum, *quinque alia concilia* hujus generis, quae vero nullam conciliorum speciem referunt, nec etiam exemplar aut occasionem reliquis conciliis dederunt.

Sunt autem haec:

1. *Actor.* XXI, 17.

Hoc loco benevolum consilium Presbyterorum Hierosolymitanorum, quemadmodum Paulus a criminationibus: quasi ipse leges mosaicas abolere et sic Judaeos ipsos a Religione Patrum abducere conaretur, se purgare posset, continetur.

Cf. Wettstein ad hunc locum.

2. *Actor.* I. 16.

Discipuli, postquam Christus, postremum eos allocutus, in monte Oliveti promisso Spiritu S. fidem eorum confirmaverat et in coelum sublatus erat, Hierosolymam rediere, et cum Maria matre et fratribus vel propinquis Jesu aliisque fidelibus in *coenaculo* quodam *) congregati, precibus et sacris meditationibus animum occupabant. Hic, proponente Petro, in locum Iscariotae **), ut compleretur numerus XII. discipulorum ***), alium sufficere placuit. Inter plures competitores, precibus ad numen missis, sortem tulit Matthias. ****)

---

*) Cf. Schleussneri, Lexicon in N. T. voce: ὑπερῷον.

**) Matth. XXVII, 5.

***) Matth. XIX, 28; Luc. XXII, 30. Joan. VI, 70.

His locis, scriptores quidam datum Apostolis consilium: ne numerum XII. diminuerent, contineri dicunt.

****) De his sortitionibus cf. Jos. VII, 14; 1 Sam. X, 20, 21; XIV, 41, 42.

3. *Actor. VI.* 2 *sqq.*

Ab initio ecclesiae christianae consuetudinem sanxerant, qua locupletes, ad pauperes in ecclesiis sustinendos, diebus solis, et omnino festis, stipem contribuerent. Hebraei autem, qui se a Deo dilectos, et ad introïtum in regnum divinum destinatos esse opinabantur, eos qui ex Hellenistis ad novum cultum transierant *), ab illius contributionis fructu prorsus exclusisse videntur. Qua injuria qui affecti erant, ad Apostolos recurre-

Responsum quod Apostoli et Presbyteri, per Paulum et Barnabam, simul cum duobus aliis ex

---

bant. Hoc consilio ecclesiae, Hierosolymis convocatae, propositum est:

Septem — sine dubio quod hic numerus, apud Judaeos solemnis erat — **) spectata fide viri eligerentur, quibus munus eleemosynarum administrandarum demandaretur. Hoc cum ecclesiae valde placuisset, Stephanum, Philippum, Prochorum, Nicanorem, Timonem, Parmenionem et Nicolaum creaverunt. ***)

---

*) Cf. Actor. IX, 29; XI, 20.

**) Lilienthal in: gute Sache der Offenbarung. Tom. XVI. pag. 1573. ea de causa *septem* viros electos esse, arbitratur; ut aequalitas quaedam servaretur; ac ita quidem: ut *tres* ex Hebraeis, *tres* ex Hellenistis et *unus* denique ex Proselytis eligerentur.

***) A munere *Diaconiae*, quam administrabant, nomen *Diaconorum* acceperunt.

4. *Actor. VIII*, 14. *sqq.*

Inter persecutiones Christianorum Hierosolymis, quas Saulus executus est, multi, urbe relicta, in vicinas regiones diffugerunt. Philippus urbem Samariae accessit, — nomen ejus Lucas non commemorat — *) salutiferam Christi Religionem praedicavit, multosque invenit, qui eam sequerentur. Quo comperto, Apostoli Hierosolymis Petrum et Joannem, ut ecclesiam, nuper conditam, docerent confirmarentque, illuc miserunt.

---

*) *Fortasse* hoc oppidum *Githae* fuit? quoniam, referente Luca, Simon magus etiam inter eos erat, qui a Philippo ad fidem christianam traducti erant. In Epiphanio, Haer. 31, oppidum hoc id esse invenimus, in quo Simon natus erat et commorari solebat.

Cf. Justini Mart. Apologia prima (Ed. Thirlbii) pag. 84.

5. *Actor. XX*, 17. *seqq.*

Paulus, seditione per Demetrium argentarium mota, quam celerrime Ephesum, ubi jam biennium degerat, excedere cogebatur. Paulus Miletum pervenit et Presbyteros ephesinos ad se arcessi jussit, de fatis quae eum, Hierosolymas advenientem, manerent, collocutus. Simul vero ut constanter fidei christianae adhaerescerent, eos obtestatos monuit, ne falsis doctoribus deciperentur; et iis, non sine magna animi commotione, valedixit.

ecclesia Hierosolymitana, Juda cognomine Barsaba et Sila, ecclesiae Antiochenae reddiderunt, hoc modo expressum erat: *Οἱ ἀποστολοι και οἱ πρεσβυτεροι και οἱ ἀδελφοι, τοις κατα την Ἀντιοχειαν και Συριαν και Κιλικιαν ἀδελφοις, τοις ἐξ ἐθνων, χαιρειν.*

Ἐπειδη ἠκεσαμεν, ὁτι τινες ἐξ ἡμων ἐξελθοντες ἐταραξαν ὑμας λογοις, ἀνασκευαζοντες τας ψυχας ὑμων, λεγοντες περιτεμνεσθαι και τηρειν τον νομον, οἱς ὐ διεστειλαμεθα· ἐδοξεν ἡμιν γενομενοις ὁμοθυμαδον, ἐκλεξαμενες ἀνδρας πεμψαι προς ὑμας, συν τοις ἀγαπητοις ἡμων Βαρναβᾳ και Παυλῳ, ἀνθρωποις παραδεδωκοσι τας ψυχας αὐτων ὑπερ τε ὀνοματος τε κυριε Ἰησε Χριστε. Ἀπεσταλκαμεν οὐν Ιουδαν και Σιλαν, και αὐτες δια λογε ἀπαγγελλοντας τα αὐτα. Ἐδοξε γαρ τῳ ἁγιῳ πνευματι και ἡμιν, μηδεν πλεον ἐπιτιθεσθαι ὑμιν βαρος, πλην των ἐπαναγκες τετων, ἀπεχεσθαι εἰδωλοθυτων και αἱματος και πνικτε και πορνειας· ἐξ ὡν διατηρουντες ἑαυτες, εὐ πραξετε. Ἐῤῥωσθε. (*Actor.* XV, 23 — 30.)

Plerique viri docti e Protestantibus, hoc concilium Apostolorum, *veram concilii indolem gerere*

Cf. Clarkson in: Traités historiques de l'état primitif de l'Episcopat et des Liturgies. Cap. I. pag. II. seqq.

Has, vero, res actas *concilia esse*, neminem fore, puto, qui contendat; quippe cum in iis, nullum reperiatur concilii vestigium. Porro *mors* Jacobi *minoris* concilii convocandi occasionem praebuisse dicitur; qua in re provocant: ad Eusebium H. E. Lib. III, Cap. 11. (Ed. Reading pag. 105). Eusebius narrat: post obitum Jacobi minoris, Apostolos et discipulos, qui adhuc in vivis erant, simul cum propinquis Domini, undique Hierosolymam convenisse, ut in locum Jacobi, morte martyris defuncti, alium substituerent. Cui tamen narrationi omnis historica fides deest. Statim enim ab initio, Eusebius verba illa graviora adjecit: λογος κατεχει (*fama est*) Nonne igitur facile fieri potuit, ut tota res ficta fuerit. Praeterea Eusebius ne Συνοδον quidem appellat.

statuerunt, etiamsi multi repugnent; *a*) alii hoc concilium, *quamvis verum*, non tamen *universale* fuisse, itemque, multis de causis, ab aliis conciliis distinctum. *b*)

At vero hic non *plures ecclesiae* convocatae erant, Apostolis et Presbyteris ecclesiae Hierosolymitanis solis praesentibus; legati vero ab Antiochensibus missi, *non* ipsi *concilii assessores*, sed *tantum litis delatores erant;* quippe ecclesia Antiochena ad ecclesiam Hierosolymitanam provocante. Attamen ad concilium constituendum, *plures*, *plurium ecclesiarum*, *doctores atque viros*, *ad decernendum idoneos*, convocari necesse est.

Jam vero ex his omnibus dilucide apparet, omnia concilia Apostolorum, inprimis vero illud, de quo in *actis Apost.* XV refertur, pro conciliis non esse habenda. Apostoli enim id tantum ad Antiochenos scripserunt, *quod ipsis placuisset.*

Pro certo quidem habeamus, rapidos, quos fecit evangelium, progressus, soli pietati et fiduciae, quam ponebant in Apostolis primi Christiani, deberi. *c*) Sin autem hic conventus, concilium dici non potest, nonne quaeras: *primamne ille secundo seculo saepissime convocandis conciliis occasionem dederit?*

Quod

---

a) J. H. Boehmer in: Schiltero illustrato s. emendationes et additamenta ad Jo. Schilteri Inst. J. E. Lib. I. Tit. IV. pag. 18.

b) Heumannus in: Erklärung des N. T. Tom. VI. pag. 162. Lilienthal l. c. Tom. XVI. pag. 1717, §. 50.

c) Actor. XV, 31.

Quod ego, ita se habere, minime arbitror. Concilia enim, secundo seculo habita, talibus ritibus celebrata fuisse videmus, quales in primo conventu Apostolorum nulli occurrunt; nullam etiam Patrum apostolicorum scripta, quae supersunt, Patrumque serioris aetatis, conciliorum, quae usque ad dimidium seculi secundi habita essent, mentionem injiciunt. Commemorant quidem, Hierosolymis conventus habuisse Apostolos, quibus vero nomen *conciliorum* non tribuunt. Quippe, si simplex Apostolorum conventus pro primo concilio habitus fuisset, sine dubio factum esset, ut saepius hunc terminum conventui dedissent, qui lites Christianorum dirimendas unice spectabat. Sola enim pietate commoti Christiani, ad hunc conventum Apostolorum confugisse, videntur.

Profecto legibus naturae maxime consentaneum erat, ut per prima novae ecclesiae tempora, litibus exortis, ad Apostolos, qui, ipsi Jesu discipuli, ejus praecepta optime tenebant, et ita cujusvis ecclesiae commodis prospicere poterant, provocarent.

Hoc vero amplius fieri non potuit, cum exeunte seculo primo, nulli fere Apostoli superstites essent; quam ob rem, usque ad dimidium seculi secundi, nullos conventus habitos esse legimus, qui, inde ab hoc tempore, in *Graecia*, ubi causae eorum ex rerum publicarum constitutione quadam prodibant, crebrius occurrere solent.

Intercedente alia causa fieri potuit, ut conventus,

praecipue Hierosolymis Actor. XV. habitus, ad divulgandam et firmandam conciliorum auctoritatem multum conferrent. Simulac Episcopi in ecclesiis divinitus sibi concessam auctoritatem tueri nitebantur, hanc in rem loca N. T. citabant, et cum jam saepius concilia haberentur, vulgo *conciliorum apostolicorum exemplo utebantur;* solemnes dicendi formulas et ritus adhibentes, ut veram et *divinam conciliorum auctoritatem* constituerent aut conservarent.

E concilio Actor. XV. mox Episcopi, omnia, ut e fonte, hauserunt, quaecunque ad propositum, ad quod aspirabatur, perducere volebant.

S. V. WALCHIUS, in libro jam supra adducto: Entwurf einer vollständigen Historie der Kirchenversammlungen pag. 79. praecipue ea adnotat, quae e rebus actis in conventu Apostolorum, Hierosolymis habito, (Actor. XV.) postea derivata, et in stabiles regulas conversa sunt, secundum quas concilia sequentis aetatis administrarentur:

1. Causa erat dissidium antiochenum de quaestione: An Proselytae e gentilibus observandae legi mosaïcae obstricti essent? Unde hoc ducebatur: ad discordias, quae Religionem tangerent, decernendas, concilia requiri.

2. Post adventum legatorum antiochensium, Apostoli et Presbyteri convenerunt. Obliterata igitur per lapsum temporis memoria: Antiochenses auditores fuisse. Inde occasio petita est: Laïcorum de agnito olim et exercito jure dejiciendorum.

3. Petrus primus loquitur.... hinc, *uni* praesidium deberi, concluserunt. Stabat igitur lex: Petrum Papae personam agere, Papae igitur in conciliis oecumenicis praesidium concedendum esse.

4. Effatum illud: *placuit Spiritui S. nobisque* — ἐδοξε γαρ τῳ ἁγιῳ πνευματι και ἡμιν — prae ceteris arreptum fuit. Nam primum concilia licere sibi arbitrabantur, per manifestam fraudem, nec raro per abusum sibi arrogabant, quod proprie nonnisi ab Apostolis dici fas erat. *a*) Deinde ex hoc abusu aliud etiam dogma derivatum, in doctrinam Christi migravit: legitimum concilium nullum falli posse.

His expositis, jam vero videtur simillimum, concilium Actor. XV. *indirecte* multum ad conciliorum auctoritatem evehendam contulisse. — Quod ad concilia, quae posteriori aetate habebantur, *talia in Graecia invenimus.* Hoc ita sese habere, TERTULLIANUS in Lib. *de Jejuniis* Cap. XIII. et XIV. (Ed. *Havercampii* pag. 551. sqq.) testatur. Ibi enim TERTULLIANUS defendere partes Montanistarum — ad quas ipse quidem an. CXCIX transiit — contra catholicam fidem suscepit.

---

a) Hoc modo jam CYPRIANUS scripsit, in epistola ad CORNELIUM Ep. Rom. quae decretum Synodi Carthaginiensis, an. CCLII. continebat:

„Placuit nobis, sancto Spiritu suggerente, et Domino per visiones multas et manifestas admonente.... (Epist. 54.)

cf. ZIEGLER, in Henke neuem Magazin. I; 1.

Hunc vero locum, ex quo postea quaedam colligemus, integrum hic apponere licebit:

„Quale est autem, ut tuo arbitrio permittas, „quod imperio Dei non das? Plus humanae licebit „voluntati, quam divinae potestati? Ego me seculo, „non Deo liberum memini: sic meum est ultro of- „ficium facere Domino, sic ut indicere illius est: non „tantum obsequi ei debeo, sed et adulari; illud „enim imperio ejus, hoc arbitrio meo praesto.

„Bene autem, quod et Episcopi universae plebi „mandare Jejunia assolent; non dico, de industria „stipium inferendarum, ut vestrae capturae est; sed „interdum ut ex aliqua sollicitudinis ecclesiasticae „causa. Itaque si et ex hominis edicto et in unum „omnes ταπεινοφρονήσιν agitatis, quo modo in nobis „ipsam quoque unitatem jejunationum et xeropha- „giarum et stationum denotatis? Nisi forte in sena- „tus consulta et in principum mandata, coïtionibus „opposita delinquimus. Spiritus S. cum in quibus „vellet terris, et per quos vellet, praedicaret, ex „providentia imminentium, sive ecclesiasticarum „tentationum, sive mundalium plagarum, qua Pa- „racletus, i. e. advocatus ad exorandum judicem „hujusmodi officiorum remedia mandabat. Puta „nunc ad exercendam sobrietatis et abstinentiae dis- „ciplinam. Hunc qui recipimus, necessario etiam „quae tunc constituit, observamus. Adspice ad ju- „daïcos fastos, et invenies nihil novum, si quae „Patribus sunt praecepta, omnis deinceps posteritas „hereditaria Religione custodit.

„Aguntur praeter ea, per Graecias illa cer-„tis in locis concilia, ex universis ecclesiis, per „quae et altiora quaeque in commune tractan-„tur, et ipsa repraesentatio totius nominis chri-„stiani magna veneratione celebratur. Et hoc „quam dignum fide auspicante congregari un-„dique ad Christum? vide quam bonum et ju-„cundum habitare fratres in unum: hoc tu „psallere non facile nosti, nisi quo tempore „cum compluribus coenas. Conventus autem illi „stationibus prius et jejunationibus operari, „dolere cum dolentibus, et ita demum congau-„dere gaudentibus norunt. a)"

Catholicae fidei asseclae Montanistis in vitium vertebant, quod, ex sua voluntate, dies jejuniorum instituerent, et sectatoribus, novas leges praescribentes, nova onera imponerent. Ad haec respondet TERTULLIANUS, demonstrans: non homines ipsos, sed Deum aut Spiritum S. *per homines*, servos suos, tales dies jejuniorum Christianis praescribere. — Quale est autem — meo praesto. —

Pergit ita: Episcopos catholicos item dies jejuniorum instituere et vectigalia extraordinaria, necessitate urgente, exigere. — Bene autem — custodit. —

Insuper eosdem arbitrarias ferre leges, et a Laïcis postulare, ut obsequium iis praebeant. Ac ita qui-

a) „Necessario apud nos fit, ut per singulos annos, seniores „et praepositi in unum conveniamus, ad disponenda ea, quae „curae nostrae commissa sunt, ut, si quae graviora sint, „communi concilio dirigantur." (CYPRIANI Ep. 75.)

dem TERTULLIANUS ad locum, in quo de conciliis agit, delabitur. — Aguntur — norunt. —

Ex hoc autem loco manifestum est, Tertulliani tempore, nec in Africa, ubi ipse vivebat, nec in universi ecclesia Orientis, ulla concilia hominibus innotuisse; nisi quae in sola Graecia et Asia minori habita sint. *a*)

Nec magis TERTULLIANUS concilia a *divino instituto* repetit. In antecedentibus enim *humana* commemorat *instituta*, quae eadem esse concilia contendit. Eodem auctore jam oppida definita erant, in quibus concilia haberentur. Dicit enim statim ab initio hujus loci: „*Aguntur per Graecias certis in locis concilia*...

Episcopi, Tertulliani temporibus, *nomine* tantum *ecclesiarum* aderant, nondum igitur *vice Jesu Christi*; quod quidem postea Episcopis mox e memoria excidit. Concilia ergo *originem in Graecia traxisse*, quae quidem, qualis tum in ea status rei publicae erat, gignendis conciliis maxime idonea fuisse videtur; in dubium vocari non potest.

Hic, credo, id modo in disceptationem vocari opus esse:

An, eo tempore, quo concilia orta sunt, in Graecia vere civitates ita constitutae fuerint, ut, qui tum Christiani erant, facile earum exemplo ad instituenda concilia potuerint adduci? — quod, si ita esse deprehendimus, opinio: *Apostolos conciliorum veros conditores fuisse*, funditus deletur.

---

a) EUSEBIUS H. E. L. V. cap. 6.

Antequam vero ad quaestionem ipsam accedamus, de opinionibus *duorum virorum*, qui, de amplianda juris ecclesiastici et historiae ecclesiasticae scientia, insigniter meruerunt, de origine conciliorum paucis disquirere liceat.

J. H. BOEHMERUS, in libris jam laudatis, concilia, secundum primam eorum originem, nonnisi *mera Judicia* fuisse, statuit.

Ecclesiae christianae societates quaedam erant, quae nisi lege et auctoritate quadam temperarentur, non corruere non poterant. Eaedam firmis inter se cohaerebant vinculis, quae jam Apostolorum temporibus nexa perpetuo servabantur. Potuit tamen, propter conditionem Christianorum in Imperio romano, singulas tantum complecti provincias. Quisque Episcopus *suam ecclesiam* regebat; ceterum autem Episcopi *communi* utebantur *regimine*. Propterea res, quae ad commune commodum pertinebant, communiter etiam tractabantur, quod ut efficeretur, conventibus opus erat: quae *Synodi provinciales* vocantur .... „*Itaque Synodi provin-* „*ciales seculo secundo natae sunt, quae nil* „*aliud sunt, quam: Judicia ecclesiastica, a* „*plurimis ecclesiis conjunctim exercita, et per* „*legatos a singulis ecclesiis explicata....*"

Haec quidem arcta conjunctio Episcoporum, qualem *Cel.* BOEHMERUS fuisse censet, nimirum — quantum ex historia cognosci potest — in re est fundata. Num vero, conciliis occasionem praebuisse dicetur?

Secundum hanc, de Episcoporum et ecclesiarum arcta conjunctione, opinionem

Ven. Jo. Laur. MOSHEMIUS, in libro: de rebus Christianorum, ante Constantinum M. Commentarii pag. 257 et 264, alium conciliorum fontem indicavit:

Primis ecclesiis christianis Episcopi praefecti erant, qui, a populo creati, ope Presbyterorum, pariter a populo electorum, quibus omnia, quae ad commoda ecclesiae spectabant, administranda erant.

Haec vero secundum praescripta et leges, quae toti ecclesiae placuerant, perficere debebant. Res majoris momenti, si qua incidebat, regulis et praeceptis nondum constituta, ad universam ecclesiam referri et deliberari necesse erat. Unaquaeque ecclesia sui juris erat, unde evenit, ut leges, quas sibi aptissimas putaret, ferre posset. Erat autem, fortasse jam inde a tempore Apostolorum, in consuetudine, fortasse etiam epistolae Pauli ad plures simul ecclesias missae, in causa erant, ut ecclesiis, ab ipsis Apostolis conditis, praecipua quaedam jura concederentur. Quo factum est, ut litibus, inprimis eis quae ad fidem spectarent, exortis, ab ecclesiis Romae, Alexandriae et Antiochiae consilium peteretur, eique quod enunciassent, divina quaedam auctoritas tribueretur.

Unaquaeque igitur *ecclesia*, cum Episcopo vel Presbytero, qui ei praefectus erat, *societas erat per se subsistens*, quae non ab alieno arbitrio

pendebat et secundum proprias leges res suas administrabat.

Exeunte seculo secundo, varias ob causas, quae ex conditione ecclesiarum, imperio et magistratibus gentilibus subjectarum, oriebantur, plures ecclesias liberas reperimus, quae foedus arctum inter se faciebant certisque temporibus conventus habebant, in quibus commoda cunctarum ecclesiarum perpenderentur. Hi conventus, latine *Concilia*, graece Συνοδοι appellati fuerunt, *quorum origo primum in Graecia deprehenditur.*

His expositis opinionibus, quarum ea, quam ex Cel. MOSHEMIO laudavi, omnibus numeris absoluta est, jam ad supra commemoratam quaestionem revertor: *An tempore, quo concilia oriebantur, in Graecia ita constitutae civitates inveniantur, ut ecclesiis christianis, quae tum erant, suorum conciliorum habendorum occasionem dare potuerint?*

Graeci, qui Achajam littoraque Asiae minoris inhabitabant, per exiguas civitates divisi erant, quae uno communi vinculo continebantur. Graecorum consuetudo, omnia inter se jungendi, non solum plures civitates minores ad communem utilitatis curam invitabat, sed etiam eodem consilio, concilia, loco et tempori certo adstricta, instituere docuerat. Non solum temporibus libertatis adhuc integrae, sed etiam a Romanis subactae, Graeci europaei et asiatici morem illum sequebantur, quo, omnes ali-

cujus momenti res, in conciliis ventilabantur, legatis plurium civitatum praesentibus.

Hujusmodi concilia jam diu ante Christum natum exstiterant; quorum conciliorum celeberrimum fuit illud, quod *Amphictyonicum* appellabatur, atque Delphis, *verno* et *autumnali tempore*, convocari solebat.

UBBO EMMIUS FRISIUS, in Graecia vetere T. I. pag. 338 seqq. (Ed. Lugd. Batav. 1626.) et

J. G. de CHAUFEPIÉ in: Nouveau Dictionnaire historique et critique (Suppl. ad Diction. P. BAYLII) Tom. I. pag. 297. (Ed. Amstelod. 1750.) voce: *Amphictyons;* historiam hujus concilii longe amplissimeque persequuntur.

Cum tamen prior rem melius absolvat, totum locum hic afferre placet:

„Fuit pervetustum apud Graecos institutum *a*), „*concilium Amphictyonicum*, cujus principium „Pausanias ad Amphictyonem, Deucalionis filium, „Thessaliae regem, nominis quoque auctorem, „Strabo ad Acrisium regem Argivorum XIV refe„runt.... Ex quibus omnibus conjectare licet, ori„ginem instituti a Thessaliae rege esse, et concilii „sedem primaevam ad Thermopylas in Thessalia „fuisse: deinde istinc in Phocidem, ubi posteris „temporibus, esse translatam. Accedit verisimilitudo „sententiae eidem quoque ex populis quos primum

a) Auctore CHAUFEPIÉ l. c. hoc concilium, per Amphictyonem regem Athenarum, Deucalionis filium natu maximum, anno m. c. MMCCCCLXXXIII. institutum est.

„concilii hujus participes fuisse Amphictyonum, „Pausanias docet numero X, quorum plurimos aut „Thessalos fuisse, aut Thessaliae proximos, item„que posteris etiam temporibus accensos esse con„stat; nimirum Dolopes, Acarnanes, Magnetes, „Phthiotas, Maleenses, ipsos Thessalos, Dorien„ses... Usitatum autem est, proximos quosque „populos in hujusmodi concilia loco ipsis commodo „et vicino primum coïre. Praeter hos vero in socie„tate hac amphictyonica, jam inde ab initio fuere: „Phocenses, Bœoti, Locri, Iones, inter quos etiam „Athenienses censebantur... Phocis regionum Grae„ciae quodammodo media, et in ea *Delphi* urbs „clarissima, ob regionem cum templo ditissimo: „in cujus adyto Apollo Pythius oracula reddebat, „expetita non solum toti Graeciae, sed multis quo„que regionibus et regibus externis. Ibi locata sedes „concilii hujus amplissimi: cujus scopus praecipuus „fuit, ut esset supremum gentis Graecae tribunal, „ad judicandas et definiendas lites publicas. Ad hoc „igitur ex instituto graviores causae inter civitates „et populos controversae deferebantur, et qui jus „suum a vicinis aut aliis consequi non poterant, „hos judices adibant, ab his judicium poscebant: „judices delatos rite citabant, in comparentes et au„ditos et convictos, itemque in contumaces ac non „comparentes, sententias ferebant, easque ipsi, si „iis non pareretur, exequebantur, aut si id per se „facere non poterant, executionem aliis, qui pote„rant, demandabant, horumque auxilium implo-

„rabant. Tantae vero auctoritatis hoc tribunal erat, „ut raro sententiae ab eo latae irritae transmitterentur, aut contra non parentes executione destituerentur, saepe etiam gravium armorum vi, et „concussione multorum populorum, judicata finem suum consequerentur....

„*Coïbat hoc concilium judicum quotannis bis* „*initio veris et autumni temporibus, scilicet* „*statis*: extra ordinem etiam quoties res poscebat. Mittebant istuc populi, qui id jus habebant, „assessores suos, e medio sui a se designatos, binos aut ternos, pro cujusque potentia aut magnitudine, nonnulli etiam singulos tantum; quos „Pylagoras quoque vulgo saeculis florentis Graeciae „nuncupabant propterea, quod ad Pylas, quae Delphis erant juxta Apollinis fanum, conveniebant, „et tribunal suum exercebant. Qui autem populi „jure amphictyonico praediti alios in hoc judicio „arcessebant, aut arcessentibus occurrebant, plerumque hoc per Pylagoras suos mandatis instructos et sacerdote uno comitatos faciebant: ut cognoscere ex actione Aeschinis in Ctesiphontem et „Demosthenem et hujus responsione ad criminationes illius licet.... Porro Amphictyones praeter „munus id, quod jam expositum, curam templi „Delphici, et anathematum ac thesaurorum ejus, „qui maximi erant, demandatum habuere, eorumque defensores fuere, multa quoque anathemata ipsi in templo posuere.... Ad haec ludos „Pythios in honorem Apollinis, commissis primum

„cantoribus, inter se certantibus, dein et aliis lucta, „cursu omnis generis contendentibus, instituerunt, „et iis altero quoque anno praesederunt. At enim „non parva mutatio facta in hac curia amphictyo-„nica tempore Philippi Macedonis, qui pater Ale-„xandri M. fuit. Nam is, bello sacro victor, Pho-„censes ob sacrilegium commissum, Lacedaemonios „ob adjutos sacrilegos Phocenses, jure illo exuit, „et id Macedoniae suae contribuit, ut Pausanias „docet. Verum post annos circiter LXVIII. Pho-„censes ob fortissime rem contra vastatores Gallos „gestam, loco suo sunt restituti. Demum Augustus „Caesar rem denuo novavit. Nam Nicopoli a se „conditae in memoriam victoriae Actiacae sub motis „Magnesiis, Meleensibus, Phthiotis, Acananibus ac „Thessaliae accensis, jus societatis amphictyonicae „dedit, ut idem tradit Pausanias. Et hic idem af-„firmat, suo adhuc tempore" — vixit autem et floruit cum Antonino Pio Romano Imperatore — „concilium illud incolume fuisse, et assessores tum „habuisse XXX. Caetera vero, quae de numero „Pylagorarum a singulis populis datorum ibidem „dicit, non satis convenientia secum omitto...."

Ex his quidem, quae verbose satis persequitur Ubbo, nec non ex plurimis veterum scriptorum locis — ut ex Aeschine, Strabone, Pausania, Demosthene — comprobat, satis apparet: Graecos jam diu ante ortum conciliorum christianorum, eorum similia frequentasse. Quin etiam res sacrae talibus in concionibus pertractabantur, quibus con-

ficiendis suos quodque oppidum, mittebat legatos. *a*) — Ecclesiae, quae in europaea et asiatica Graecia constitutae erant, jam usu cognoverant utilitatem, quae ex hujusmodi conciliis habendis perciperetur, et quam cito difficillimae res ibi componerentur. Quid igitur naturae convenientius evenire potuit, quam ut, re poscente, *in Conciliis ecclesiasticis politica imitarentur.* Quemadmodum enim in concilio Amphictyonico de rebus politicis deliberabatur, sic etiam Christiani in conciliis suis ecclesiarum commodis deliberando prospiciebant. Veri videtur simile, ex instituto illo: „*Coïbat hoc concilium judicum, quotannis bis „initio veris et autumni temporibus, scilicet „statis;*" XXX. canonem apostolicum et V. canonem concilii Nicaeni prodiisse, in quibus Episcopis imperatum legitur:

„*Bis quotannis vere et autumno coïre atque „concilium agere.*"

Ex quo apparet, Christianos graecos, in conciliis ecclesiasticis instituendis, nonnisi patrios ritus et consuetudines imitatos esse. — Jam vero ex omnibus his colligi potest: *Conciliorum originem in Graecia quaerendam esse, quorum exemplar Christiani ab institutis rerum publicarum repetierunt.*

Talia concilia mox e Graecia in Palaestinam, Syriam et Galliam migrasse, ibi enim, jam ad

---

a) Cf. Chaufepié, l. c. p. 298. nota F.

finem seculi secundi, de festo Paschali concilia habita fuisse, invenimus. Id quod verbis luculentis testatur EUSEBIUS H. E. V, 23 et 24. cui, perspicuitatis causa, conferri poterit Lib. IV, 14 et EPIPHANIUS Haer. 50. (Ceterum autem confer hujus commentationis CAP. II.)

Progrediente tempore, frequentiora etiam fiebant concilia et ad majorem, quin etiam divinam auctoritatem accreverunt. *a*) Multum etiam contulit ad multiplicanda concilia, quod jam mature leges ferebantur, quibus: *ut bis anno coïrent, sanciretur.* *b*) His expositis, hanc materiam concludere posse mihi videor. Paucis tamen, pro Capitis hujus corollario, seriem numerumque conciliorum, quam hac Periodo elaborare suscepi, habitorum subjicere liceat. In Periodo enim, quae inde ab anno CLXIV. usque ad annum CCCXVIII. producitur, multa sane concilia invenimus, — prae ceteris seculum tertium iis insignitur — quorum alia in dubium revocantur, alia plane rejiciuntur. De anno quo habita sint, multi etiam variis sententiis altercantur. Equidem tamen crediderim, haec concilia, si EUSEBIO in H. E., CYPRIANO in Epistolis et *Ca-*

---

a) Jam CONSTANTINUS M. confirmata esse ea voluit, testante SOCRATE — H. E. L. I. 9. (Ed. Reading p. 30.) his verbis:

„ὃ γαρ τοις τριακοσιοις ἤρεσεν ἐπισκοποις, οὐδεν ἐστιν ἑτερον, ἢ τȣ θεȣ γνωμη μαλισταγε ὅπȣ το ἅγιον πνευμα τοιȣτων και τηλικȣτων ἀνδρων ταις διανοιαις ἐγκειμενον την θειαν βȣλησιν ἐξεφωτισεν."

b) BINGHAM l. c. Tom. III. Lib. VIII. C. I.

nonibus, qui supersunt, fidem habuerimus, *vera* haberi posse.

Quod ad consecutionem temporis, quo habita esse dicuntur, ex mensura virium mearum, solis vestigiis Chronologiae, quae nunc, ab fere omnibus, accepta est, debui insistere, neque etiam, quod res altioris indaginis est, more eruditorum, temporis rationes a me potuerunt examinari.

Concilia, quae fidem habere videbantur, haec sunt:

Anno

164. Primum Concilium in *Asia minori*, contra Montanistas.

196. Dissidium de ritu festi paschalis obeundi, inter importunum romanum Episcopum Victorem et Ecclesias orientales.

Hinc hae Synodi derivantur:

1. in *Palaestina*, praeside Theophilo, Ep. Caesareensi.
2. in *Hierosolyma*, (Aelia) praeside Narcisso, Ep. Hierosolymitano.
3. in *Provincia Ponti*, praeside Palma, Ep. Amastris, principe inter Episcopos provinciae Ponti. *a*)
4. in *Gallia*, praesidente Irenaeo, Ep. Lugdunensi.

5. *Ephesi*,

---

a) Diu enim in Ecclesiis Africanis ea consuetudo invaluerat, qua, non Episcopus urbis primae, sed is, qui diutissime dignitate episcopali ornatus erat, in Synodis praesidium teneret.

Anno

5. *Ephesi*, praeside Polycrate, Ep. Ephesino.
6. in *Provincia Osroëne*, in Asia proconsulari.
7. in *Roma*, praeside Victore Ep. Romano.

215. *Carthagine*, praeside Agrippino.
An baptisma Haereticorum sufficiat?

230. *Alexandriae*, Demetrio gubernaculum tenente, in qua quidem Origenes, quia extra Palaestinam dignitate Presbyteri ornatus erat, condemnatus est.

235. *Iconii in Phrygia.* De baptismate Haereticorum.

244. *Bostrae in Arabia.* Ob errores Berylli Ep. in doctrina de Christo.

246. in *Arabia.* Contra Haereticos arabicos, ita nominatos.

251. *Carthagine*, contra Felicissimum et
Romae contra Novatianum.

252. *Carthagine*, de Lapsis et de baptismate infantium.

254. *Carthagine*, rogatu Episcoporum Hispanicorum, qui Martialem et Basilidem, ut Lapsos condemnaverant, quorum posterior a Stephano Romano Ep. in coetum Episcoporum receptus est.

255 *Carthagine*, ad Anabaptismum Haeretico-
256. rum confirmandum. *a)*

---

a) Eusebius H. E. L. VII, 24. Dionysium Alexandrinum Ep. cum Presbyteris, doctoribus, ceterisque Christianis de doctrina Nepotis, cujusdam Ep. Aegyptii *colloquium* habuisse, refert.

Anno

265. *Antiochiae*, contra Paulum Samosatenum Ep. Antiochiae.

269. *Antiochiae.* Paulo munus abrogatur. *a*)

305. *Eliberis*, de moribus Clericorum et Laïcorum.

314. *Arelate*, praesidente Marino, Ep. Arelatensi. Etiam hic Donatus contra Caecilianum causa cadit. *b*)

318. *Ancyrae* in Galatia et *Neocaesareae.* Spectant vero, ad disciplinam Clericorum.

Hoc anno initium discordiarum Arii cum Episcopo Alexandro, de quibus mox, saltem anno CCCXX, concilia habita sunt, ponendum est.

Plurima horum conciliorum nil nisi *Synodi provinciales erant*, multa etiam in numerum συνοδων ἐνδημουσων referuntur. Ex. gr. Duae illae Synodi arabicae (244 et 246.) in quibus *Origenes* ut *peregrinus* magnas partes gessit; Antiochiae (265.) contra Paulum Samosatenum, ubi *Firmilianus ut peregrinus* adfuit, sedis et suffragii jure gaudens.

Hoc Walchius l. c. pag. 111. sine causa, e conciliorum numero exclusum esse, queritur. At quomodo colloquium concilium dici potest?

a) Alii hic *unum*, alii *duo*, alii *tria concilia* fuisse statuerunt; alii denique Antiochiam concilii locum fuisse negant.
Cf. Walchius l. c. p. 112 et 113.

b) Causa enim jam anno praeterlapso, jussu Constantini M. plurium Episcoporum e Gallia Romam evocatorum, judicio subjecta erat, ubi Donatus a Caeciliano victus, discessit.

CAPUT SECUNDUM.

De occasione conciliorum hac periodo habitorum.

Cum historiam haeresium scripturus non sim, sed tantum occasionis conciliorum, hac periodo habitorum, exponendae consilium ceperim, nemo hoc capite prolixam haeresium aut controversiarum historiam, requiret. Ad quam componendam uberiore notitia scriptorum, accuratiore cognitione placitorum philosophorum orientalium, et denique ampliori institutorum ecclesiae christianae scientia, quam quae a me, stadium literarum haud longum ante tempus ingresso, postuletur, opus est.

Attamen ego historiam occasionum conciliorum convocandorum enarraturus, eam pro ingenii modulo, ex fontibus historiae ipsis, — quos suo loco indicabo, — hauriens, omnia eo pertinentia, quae mihi majoris momenti videbuntur, quam disertissime potero, pertractabo. Cum autem fieri non posset quin plura aciem oculorum effugerint, ita ut de multis minus justam sententiam ferrem, eadem justus quisque judex, pro aequitate sua mihi ignoscet.

Hac spe fretus, protinus ad explicandam occasionem primi concilii me confero.

I. *De Montanismo.*

Concilium in Asia minori an. CLXIV.

Fontes:

EUSEBIUS, in H. E. Lib. IV, 27; V, 3, 14, 16 — 19.

EPIPHANIUS, Haer. 48 et 51.

HIERONYMUS, in Catal. script. eccles. cap. 40.

cf. Th. WERNSDORF, de Montanistis sec. II. haereticis, Commentatio. Gedan. 1751.

Longe accuratius Montanistarum praecepta, in diversis TERTULLIANI defensionibus, maxime in his libris: de *Jejuniis;* de *Monogamia;* de *Virginibus velandis;* de *Pudicitia;* de *Cultu feminarum;* de *Fuga in persecutione* et de *Anima;* exposita invenimus.

Montanus, a quo sectatores nomen *Montanistarum* duxerunt, *a*) in provincia *Mysiae* a parentibus ethnicis, initio secundi seculi, procreatus est. Ad medium hujus seculi fidei christianae se addixit.

Causa *duplex* est, ob quam *Montanus* cum sectatoribus, cognomine *haereticorum*, insigniretur.

1. *Montanus*, *Maximilla* et *Priscilla*, se divino Spiritu *inspiratos* esse jactabant.

---

a) Iidem a *Priscilla*, Montani praeceptis adhaerente, et oppidulo *Pepuza* — quod *Hierosolymam novam* vocitabant — *Priscillianistae* et *Pepuziani*; itemque a regione, quam latissimam occupaverant, *Phryges* et *Kataphryges* appellabantur.

Cf. WERNSDORF, Commentatio de Montanistis etc.

2. Quod in doctrina morali, qualis tum vigebat, multa mutabant. *a*)

Quod si priorem illam opinionem spectes, in qua, quod a fide catholica aberrasse dicuntur, testibus Patribus commemoratis, hisce ea continetur:

Montanus, *Maximilla* et *Priscilla* docebant: Deum jam in vet. Testamento per Prophetas cum hominibus locutum, sermones suos etiam per novum Testamentum continuasse, unde factum sit, ut Christus Apostolis suis Spiritum S. nomine *Paracleti* polliceretur. *b*)

Hunc vero Paracletum non *solis Apostolis*, sed reliquis etiam Christianis promissum esse, ejus vim autem in praesens adhuc vigere. — Neque vero

---

a) Praeterea multa alia iisdem opprobrabantur.

Montanus ex. gr. se Deum patrem; secundum alios se Spiritum S. dictitasse; neque minus Sabellianismi, postero tempore exculti, fundamenta posuisse, artem magicam exercuisse, traditur. — Montanistas ajunt, nefas dictu! quibuscunque voluptatibus, libidinibusque deditos fuisse; infantis quotannis mactati sanguinem farinae immiscuisse, et, ex hac massa, panem ad sacram coenam praeparasse.... Verum tamen quantopere haec doctrinae ipsorum contraria sint, quotiesque contra placita eorum, qui secus sentiebant, sint conflictati, hujus rei TERTULLIANUS, partium Montani studiosissimus assecla, in libris: adv. *Praxeam*, *Marcionem* et *Hermogenem* inaudita exempla profert. Neque etiam ullus Patrum, qui aetate priori florebant, tanto opprobrio eos afficit. Quippe incriminatio horum scelerum plerumque ex inde profecta esse videtur: Quod haereticis nullam culpam non inferendam esse, Orthodoxi putabant, unde maxima iis invidia conflaretur.

b) Haec Christi promissa in evang. Joannis Cap. XVI, 7 et XIV, 16 et 26. legimus. De derivatione hujus vocabuli a voce hebraïca: פרקליט

Cf., SCHLEUSSNERI, Lexicon in N. T. voce παρακλητος.

omnes, sed *solos electos* Christianorum, subinde hujus Spiritus S. participes fieri. *a*)

Montanus certe cum Maximilla et Priscilla se vi divina s. Paracleto impleri, *eumque per ipsos loqui* gloriabantur.

In vetere Testamento, Montanus ait apud TERTULLIANUM, *b*) institutionem generis humani per Spiritum S. factam, in incunabulis tantummodo fuisse; novo autem Testamento magis excultum iri. Quocirca sibi a Deo mandatum esse, ut eam ad summum perfectionis fastigium extollat.

Ut vero se vana non locutos esse ostenderent, multa in doctrina morali mutabant, *c*) oracula edebant *d*) et de regno mille annorum s. Chiliasmo loquebantur; quamquam regnum illud, testante TERTULLIANO, non tam in corporis voluptatibus, quam in animi beatitudine, collocabant. *e*)

Mutationes Montani, mulierumque spiritu quodam afflatarum, Priscillae et Maximillae, ordine quodam enarrari vix possunt. Erant enim nonnisi singula eloquia, quae vi divina correpti profaban-

---

a) TERTULLIANUS, licet e studiosissimis qui Montanum sectabantur, *nusquam* Spiritu S. se correptum esse ostendit. Nominat quidem (de Pudicitia Cap. 21.) sororem quandam, quam Paracletus vinculis obstrictam tenuerit. Haec vero, opinor, nulla alia est quam Priscilla aut Maximilla, nec ideo tertiam personam assumere oportet.

b) De veland. Virginibus I. et de Monogam. I — III.

c) TERTULLIANUS, de veland. Virgin. I. de Monogam. III.

d) EUSEBIUS, H. E. V, 16.

e) TERTULLIANUS, adv. Marcionem III, 24.

tur; aut emendationes singulis doctrinae moralis partibus applicatae, servatis tamen quibusdam, quae ipsis cum reliquis Christianis communia erant; et quae de his relata legimus, manca insuper sunt, quippe cum nullas doctrinas praeter eas scriptores nobis tradiderint, quibus liti nutrimentum fuit suppeditatum.

Ex Tertulliano, aliisque scriptoribus, hasce praecipuas *mutationes, quas* Montanistae *doctrinae morali intulerunt*, fuisse apparet:

1. Montanistae contra eos, qui criminis causa excommunicati erant, multo severius, quam ecclesia catholica ipsa, saeviebant. Non enim interfectores solum et eos qui Deum esse negabant, sed etiam adulteros, in ecclesiam recipi nolebant. Deum peccatoribus ignoscere eosque ad vitae beatae societatem recipere, Montanistae nunquam in dubium vocarunt; sed id tamen quaesiverunt: num pax ecclesiae, his receptis, servari posset? Nonne, hac receptione, jura fidelium laederentur? Peccatoribus in ecclesiam — cui criminum condonandorum potestas esset — receptis, crimina faciliora reddi, indeque majus malum, quam ex Montanistarum severa disciplina profluere.

Quam sententiam TERTULLIANUS, in libro de Pudicitia, acerrime defendit contra catholicos. (cf. Lib. de Poenitentia.)

2. Quod ad matrimonium secundum spectat, mox inter partes duas graves exortae sunt controversiae. Ii, qui contra Montanistas pugnabant,

secundum matrimonium, sive morte conjugis, sive adulterio, sive divortio facto initum esset, nonnisi primi continuationem esse contendebant; tamen concedebant, aeque ac Montanistae, statum viduum tueri praestabilius esse; adversus quos Montanus asserebat: viduos majoris perfectionis participes fieri posse, ad quam ipse per Spiritum S. ecclesiam evecturus esset; necessarium igitur esse, ut sine conjuge, vitae quod reliquum esset, agerent. Haec contra ab adversariis pugnabatur.

Porro Montanistae, hanc eandem ob causam, quicunque secundum matrimonium iniisset, eum excommunicandum, nec, nisi facta poenitentia, in ecclesiam recipiendum esse, contenderunt: *a*) de quo adversarii aliter sentiebant.

3. Jam inde a primis temporibus ecclesiae christianae, Jejunia, quibus virtutes agerentur et libidines opprimerentur, efficacia esse habebantur; quam consuetudinem Christiani, ad exemplum Prophetarum, Christi et Apostolorum, se servare autumabant. De his autem observandis, Montanus legem sanxit, nec satis huc dum jejunatum esse credidit. Rogavit etiam, ut in jejunio — quod inter primos Christianos, solito more, quotannis ante festum paschale, in memoriam supplicii Jesu, celebrabatur, — obsoniis tantum et aqua uterentur. *b*)

---

a) Montanus infitias non ivit, Paulum secundum matrimonium concessisse, sed hanc sibi praestantiam arrogabat, quod, Paracleto instigante, hanc consuetudinem abrogaret.
Cf. TERTULLIANUS, de Monogamia Cap. 14.

b) Hic jejuniorum mos observatus, in postero die *Ξηροφαγια* vocabatur.

Praeter hoc jejunium paschale, Christiani binos, nec eos tamen integros, dies, sed usque ad horam nonam tantum — nostratibus tertiam — jejuni agebant, scilicet diem Martis et Veneris. Montanistae autem usque ad solis occasum producebant abstinentiam a cibo. *a*)

4. Christiani nihil intentatum relinquere, quo persecutiones evitarent, licitum esse putabant. His temporibus igitur arcanos habebant conventus, ad conservandam vitam et libertatem vicissim se adjuvantes; ita tamen ut Religionem deserere nefas haberetur. Montanistae contra, et eos qui fugam aut ipsi susceperant, aut adjuverant, *Apostatas* judicabant, et Montanus ad Christianos, ad quaevis mortis pericula subeunda, inflammandos, sese a Spiritu S. instigatum esse, contendebat. *b*)

5. Montanus literas scientiasque Christianis inutiles et noxias esse censuit; spectaculis interesse foedum habuit; imo puellas, viduas, mulieresque velamentis tectas in publicum prodire jussit. *c*)

---

a) Eusebius, H. E. V, 18. et Tertullianus, de Jejuniis.
Praeterea Montanus *bina* jejunia sanxit, quorum alterum tempore Pentecostarum — quod festum tum primum initiabatur — celebratum fuisse constat.

b) Tertullianus, de fuga in persecutione.

c) In diversissimas abeunt partes scriptores ii, quorum monumenta de ejus annis juvenilibus ad nos pervenerunt, statuere volentes, quonam anno Montanus doctrinam perfectiorem divulgare coeperit?
Iste, nescio quis, cujus fragmentum Eusebius in H. E. V, 16. nobis servavit, annum hunc, quo Gratus Asiae Proconsul esset, fuisse censet. Quis autem hic Gratus? Quando Proconsul factus? — Epiphanius Haer. 48. decimum nonum Antonini

Haec omnia hominem pingunt, ob debilitatem mentis praeceptorum modum excedentem, et per id vanae gloriae appetentem, nec tamen honesti non studiosum.

Nonne itaque naturae legibus convenit, talem virum qui ipse somniorum praestigiis mentem praestrinxerat, alios etiam in eandem viam deducere conari et nomine Prophetae se ornatum velle; cum in JUSTINI Mart. Dialogo cum Tryphone Judaeo vestigia nonnulla deprehendamus: Christianos quosdam jam tum Spiritus divini vim in hominibus efficacem esse existimasse. Montanus itaque voluit animum Christianorum ad eam perfectionem deducere, ad quam nondum pervenerant.

Cum non raro mente alienaretur, nec non furore quodam abriperetur, nonnulli eo perducebantur ut animum ejus, quem nos *profundiorem* fortasse nominaremus, *diabolo obsessum* putarent.

Quod ad immutationes alias, ab ipso prolatas, attinet; ritus sacros alios paululum immutavit, alios novos addidit, dogmata prorsus intacta reliquit. Jejunia, a Christianis exercita, ei non sufficiebant. Aegre quoque tulit, quod Christiani, saepius animum in periculis despondentes, vitam summis cruciatibus objicere dubitarent.

Fieri igitur non potuit, quin hae cultus immu-

Pii imperantis fuisse statuit. Inania igitur erant conamina anni ipsius definiendi, quamvis dubium non sit paulo post medium seculi secundi hoc factum esse, cum jam anno CLXIV hujus causa concilium in Asia minori habitum esse constat.

tationes, morum, quibus studebat, austeritas, prosperi successus et magna sectatorum cohors, catholicos contra novae doctrinae hunc novatorem exacerbarent. Neque tamen omnes Christiani hanc de eo opinionem habebant, et vestigia invenimus, si testimonio EUSEBII *a*) fidem habeamus, jam ecclesias in Gallia, et adeo Episcopos romanos, severum de eo judicium mitigasse, hominem nec veritati nec Religioni periculosum fore, judicantes.

In Asia contra, Montanistis mox resistebatur, ibique conciliis, quae ponenda sunt inter annum CLXII. et CLXX. habendis, occasionem praebuerunt.

Decretum concilii illius anno CLXIV. hoc fuit:

Ut Montani doctrina pro falsa declararetur, quapropter omne commercium cum ejus sectatoribus esse intercludendum. *b*)

Haec secta, separata a Christianis, usque ad seculum quintum se sustinuit, donec tandem per expressa Imperatorum decreta exscinderetur. *c*)

II. De celebrando festo paschali.

Concilia in Palaestina, Hierosolymis, Provincia Ponti, Gallia, Ephesi, Osroëne et Romae anno CXCVI.

Fontes:

EUSEBIUS, H. E. V, 23; IV, 26.

---

a) H. E. V, 3.

b) Secundum EPIPHANIUM (Haer. 48.) Montanistae propria sponte a ceteris Christianis recesserunt.

c) Cf. Cod. THEODOSIANUM Tom. VI. praecipue pag. 168, 177, 182, 186, 200, 202.

EPIPHANIUS, Haer. 50.
SOCRATES, H. E. V, 21 et 22.
SOZOMENUS, H. E. VIII, 29.

Festum paschale temporibus, quibus Israëlitae ab Aegyptiis vexabantur, certe paulo post, *a Mose ipso* institutum fuit, et quidem in memoriam transitus *percussoris* i. e. contagionis lethalis cujusdam, a qua immunes fuerunt, et libertatis quam fuga recuperarunt. Jam eodem tempore, quo terribilis iste morbus, — fortasse pestis? — in Aegypto grassabatur, Moses Israëlitis mandaverat, ut mactati agni sanguine postes oblinerent, quo certius morbi immunes essent. *a*) Hoc festum gratae memorisque mentis signum, semper apud Judaeos pro sancto habitum, et quotannis, multis cum ritibus, celebratum est.

Simul agnum comedebant, patre familias interea — porrecto poculo — Patrum ex servitute liberationem referente. Haec eadem festi celebrandi ratio, Christi temporibus, antiquo vigore suo stetit; Christus autem aliam ei significationem suggerebat.

Voluit enim id esse convivium, quo memoria mortis, qua totum genus humanum redemerat, servaretur. *b*)

Quamdiu Apostoli horumque discipuli in vivis erant, fortasse hoc festum jam in aliquot ecclesiis diversis temporibus celebrabatur, nondum tamen

---

a) Exodi Cap. XII.

b) Jam a primis temporibus inter *πασχα σταυρωσιμον* et *πασχα ἀναστασιμων* discrimen factum erat. *Τῳ ἀναστασιμῳ* autem nomen *πασχα* potissimum collatum est.

controversia circa illud exorta. Sed anno CLX. primae discordiae, inter Asiae minoris et Romae ecclesias, exstiterunt. Christiani enim Asiae minoris sacrum hoc convivium *die decimo quarto Nisanis* (Martii) communiter celebrabant, quo eodem die et Judaeos et Christum ita fecisse arbitrabantur. Triduo post *festum resuscitationis* obibant, in quo celebrando instituta et exempla Apostolorum *Joannis* et *Philippi*, se imitari opinabantur. Reliqui autem Christiani hoc convivium *tempore vespertino ante resuscitationis festum* celebrabant, quod in diem Solis, qui *decimum quartum diem* mensis Nisan sequebatur, translatum est. Hi ad instituta et exempla *Petri* et *Pauli* provocabant. Quartus decimus dies Nisanis, cum non semper in diem Veneris incideret, communiones ecclesiae asiaticae autem tribus diebus *post Christi* resuscitationem ΠΑΣΧΑ celebrarent; accidit primum, ut hoc festum non semper in diem Solis, quo Jesus resuscitatus erat, incideret; deinde ut Jejunia per totam hebdomadem, ante Christi resuscitationem, habenda, et apud primos Christianos inter ritus sacros adnumerata, interrumperentur. *a*)

Cum tota haec diversitas nonnisi ad ritus externos, minime vero ad fidem spectaret, et utraque ecclesia ad Apostolos provocare posset, facillime

---

a) Nonnulli quidem credunt, hos Christianos jam eo offensos esse, quod alii agnum paschalem uno eodemque, quo Judaei, die comederent. Sed, quaeso, cogites: Nonne primi Christiani, ante gentilium accessionem, ipsis Judaeorum opinionibus, imbuti fuerint?

intelligimus: Apostolos primosque Christianorum doctores fidei puritati potius firmandae, quam ritibus constituendis operam dedisse. Inde facile fieri potuit, ut, si quis Apostolus peregrinans, tempore paschali in certo loco commorabatur, festum illud, eodem tempore, quo haec communio, celebraret, neutiquam repugnans.

Quamvis haec ita sese habebant, tamen ecclesia Romana cum Asiatica pacem nondum fregit. *a*) — *Antonino Pio* tandem imperante, haec res inter *Anicetum* Romae, et *Polycarpum* Smyrnae Episcopum, paululum agitari coepit.

Polycarpus enim, Romam veniens, ab *Aniceto* comiter et amice exceptus est. Anicetus quidem Polycarpum falsa sentientem coarguere nitebatur; Polycarpus contra, tanquam discipulus Joannis et amicus plerorumque Apostolorum, ad exemplum magistri provocavit. Anicetus itidem ad antecessores Petrum et Paulum, causaque ita dubia relicta est; neque amicitia, quae inter eos hucusque obtinuerat, discedentibus interrupta est. — Altercationes quidem interdum exstiterunt, nunquam autem hucusque in publicum divulgatae sunt; hoc tantum constat, *Melitum* duos libros de πασχα conscripsisse. *b*)

Verum circiter annum CXCVI. vehemens hinc lis accensa est.

Victor enim, ecclesiae Romanae *Episcopus con-*

---

a) Cf. EUSEBII, H. E. V, 24.

b) *Ejusdem*, H. E. IV, 26.

tumeliosus, ea comitate et facilitate caruit, quibus Anicetus quondam ornatus fuerat. Aegerrime enim ferebat, in Asia ecclesias florere, quae a Romana ecclesia dissentientes, festum paschale celebrarent. Igitur ut Christianos asiaticos commoveret, ut festum cum ecclesia Romana celebrarent, literas dedit ad *Pólycratem*, Ephesi Episcopum, et postulavit ut deliberarent, addens, se, nisi statim obtemperaretur, omnem societatem ecclesiasticam cum iis interrupturum esse. Polycrates Episcopos convocatos ad immutationem festi excitare tentavit, sed ad unum omnes in eo perstiterunt: ut consuetudinem, a majoribus traditam, observarent, ad Joannis, Philippi et Polycarpi exempla provocando.

Hoc decretum Polycrates ad Victorem Ep. transmisit, et in epistola ecclesiam suam excusavit. *a*)

Victor, nulla deliberatione adhibita, non Polycratem tantum, sed omnes etiam Asiae ecclesias, quae festum tempore, quo ipse non celebrarent, a societate ecclesiae Romanae exclusit. — Sed ne in hoc quidem acquiescens, in furore et dominandi cupidine ulterius progressus est. Ceteras enim ecclesias de eo quod fecisset certiores faciens, eos ad idem consilium perducere conabatur. Sed spe sua excidit, cum aliae ecclesiae non tam servili indole essent, ut propter exigui momenti discrepantiam in ritu, pacem ecclesiasticam turbandam esse censerent.

Hinc occasio *conventum in Palaestina, Hiero-*

---

a) Eusebius, H. E. V, 24.

solymis; Ponto, Gallia, Ephesi, Osroëne et adeo in *Roma* ipsa, repetenda est.

In omnibus enim his locis πασχα σταυρωσιμον die Veneris, et πασχα ἀναστασιμον sequenti die Solis celebrandi consuetudo confirmata est.

Irenaeus inprimis Ep. romanum vehementer ob dominandi cupidinem increpans, eum ad concordiam et amorem hortatus est; cum tota causa non ad Religionem ipsam, sed ad singulos tantum ritus spectaret. Eandem ob causam, Irenaeus ad alias ecclesias perscripsit. Itaque hic celebrandi mos in ecclesiis asiaticis servatus est, donec seculo quarto hic mos abrogaretur, confirmato eo, quem Romana ecclesia hucusque servaverat.

III. De Baptismate Haereticorum.

Quatuor concilia in Carthagine et Iconio in Phrygia ab anno CCXV usque ad an. CCLVI.

Fontes:

EUSEBIUS in H. E. VII, Cap. 2, 3, 4, 5, 6, 7.
CYPRIANI, Epp. 70, 71, 72, 73, 74, 75, 76. (Ed. Rigaltii, Parisiis 1648.)

Prorsus necesse erat, ut in primis ecclesiis christianis condendis, unusquisque, nomen suum Christo daturus, *statim* exciperetur, et ritibus certis ad novam Religionem initiaretur. Ritus hic *baptisma* erat. Plurimi Judaeorum et Ethnicorum ita excepti, post absolutum baptisma demum in cognitionem Religionis ipsius initiabantur. Post aliquod autem tempus

pus primi doctores Religionis christianae non intelligere non potuerunt, quam noxium hujusmodi institutum esset, quantumvis ab initio satis necessarium. Fortasse etiam multorum a Religione christiana defectum animadverterunt, qui quidem accuratiorem ejus cognitionem nacti, eam non talem invenerunt, qualem sibi antea finxerant, et qui postea pessime eam calumniati, vexationes et persecutiones machinari solebant. Capta itaque sunt consilia, quibus hoc damnum effugerent; ita ut *ordo catechumenorum* constitueretur i. e. eorum, qui ad christianam Religionem adspirantes, in ejus praeceptis primariis erudirentur, et tempore demum quodam praeterlapso, — per prima secula nondum definito — per baptisma perfectiorum numero adscriberentur. Omnia id spectabant, ut animi catechumenorum quam maximis exspectationibus implerentur. Subinde tantum communi Christianorum cultui divino interesse iis licitum erat, a reliquorum precibus removebantur, nec, nisi e longinquo, sacrae coenae — qua primi Christiani quotidie tunc fruebantur — distributionem adspiciebant. Quid igitur naturae magis consentaneum, quam desiderium ejus temporis, quo et ipsi per baptisma, interiori admissione gauderent. — Haud multum poſt tempus, baptisma *piaculum peccatorum censeri* coeptum est. Hinc etiam factum, ut multi jam moribundi baptismate se lavari vellent, ita ut per totam vitam catechumenorum or-

dine non excederent. Hinc vero apparet baptismatis sanctitatem, in ecclesia christiana tunc temporis, summum attigisse fastigium. —

Jam Apostolorum temporibus, Gnosticorum secta orta, et haereticorum nomine notata erat, quorum in numerum mox aliae sectae — inprimis Montanistae, referebantur. Qui haeretici item ecclesias constituebant, suaque vice alios baptismate in societatem suam excipiebant. Quos cum nonnulli relinquere et ad fidem catholicam transire statuerent, nova exstitit quaestio, quae fere per totum seculum tertium multis conciliis convocandis ansam praebuit; — haec nempe:

Utrum ii, qui ex ecclesia haeretica ad fidem catholicam transirent, denuo baptizandi sint; an eorum baptisma manibus imponendis confirmari posset? quam, si mavis, his verbis enuntiare potes: *Utrum haeretici, ad fidem catholicam transeuntes, in ordinem catechumenorum rejiciendi sint, nec ne?*

Primum concilium ineunte seculo tertio eam ob causam Carthagine, praesidente Episcopo *Agrippino*, habitum est, ubi, teste *Cypriano a*) septuaginta Episcopi Africae Provinciae et Numidiae congregati sunt, hoc decretum fecit:

Baptisma haereticorum non valere, propterea omnes, qui ab haereticis ad fidem catholicam transirent, denuo baptizandos esse.

---

a) Epp. 71 et 73.

Illudque hoc decretum — Montanistis aliisque haereticis causam praebentibus — secundum epistolam *Firmiliani*, quae est quinta et septuagesima in Cypriani epistolis, in concilio Episcoporum Phrygiae, Galatiae, Ciliciae et vicinarum ecclesiarum Iconii in Phrygia anno CCXXXIII. non solum confirmatum, sed etiam hoc additamento: sic a Christo ipso Apostolisque traditum esse — defensum est. Haec conciliorum decreta, ecclesia Africana observare pergebat, omnes ad se transeuntes haereticos anabaptizans; Romana autem ecclesia, antiquum retinuit morem: haereticorum non anabaptizandorum, sed manibus tantummodo impositis initiandorum; *a*) nulla tamen ex hac utriusque ecclesiae diversitate exorta est lis.

Quae vero jam seculo tertio inter *Stephanum* Romae et *Cyprianum* Carthaginis Ep. vehementissime erupit. *b*) Narrat eam autem *Cyprianus* in epistolis supra commemoratis. Quamvis enim nec *Stephani*, nec ejus sectatorum, scripta ulla ad nos pervenerunt, attamen ex *epistolis Cypriani*, praecipue 75ta et ex *Eusebio* *c*) efficere possumus, quibusnam rationibus Stephanus cum amicis innisus, dogmatis hujus veritatem demonstraverit: *haereticorum baptisma non necessario requiri.*

1. Ii, qui semel baptizati sunt, ut denuo bapti-

a) Eusebius in H. E. VII, 2 et 3.

b) Eusebius, H. E. VII, 5.
Cyprianus, Ep. 75.

c) H. E. VII, 2 et 3.

zentur non opus esse; vim enim baptismatis semper eandem esse, a quocunque demum id acceperis: *Unum tantum baptisma est.* *a*)

2. Si quis, ait Stephanus apud *Cyprianum*, *b*) cujusvis sit haereseos, ad ecclesiam catholicam transierit, ritu novo non opus est, sed antiquum esse morem, manuum ei imponendarum, ejusque ad sacram coenam admittendi.

3. Qui semel nomine Jesu Christi baptizatus est, eum jam sanctum hominem esse. *c*)

4. Quaerendum non esse: quisnam baptizaverit? sed sufficere baptizatum quondam esse, ut divinae gratiae particeps fiat, invocato nomine Patris, Filii et Spiritus S. *d*)

5. Sive quis in ecclesia, sive extra eam baptizatus sit, fieri tamen posse, ut gratiam per baptisma acquirendam probitate, fideque nanciscatur. *e*)

Hinc conclusionem valere:

Vim baptismatis semper eandem remanere, unumquemque enim baptizatum vere esse Christianum; atqui: haereticos semel jam baptizatos, ergo veros Christianos, nec denuo baptizandos esse.

Cyprianus contra cum amicis haec proposuit argumenta, ut placitum suum confirmaret: *omnes haereticos, nullo excepto, anabaptizandos esse.*

1. Nemo extra ecclesiam baptizari potest, qua

---

a) Cypriani, Epist. 71.
b) Epist. 74.
c) Cypriani, Epist. 74.
d) *Ejusdem*, Epist. 75.
e) *Ejusdem*, Epist. 75.

de re jam merito requiritur, ut ii, qui transeunt ad ecclesiam catholicam, non *denuo* sed *prima vice* baptizentur. *a*)

2. Eos tantum, manibus impositis, in gremium ecclesiae catholicae recipiendos esse, qui jam semel in ecclesia catholica baptizati, postquam ad sectam haereticam transierint, rursus ad ecclesiam catholicam redeant. *b*)

3. Baptismate haereticorum non eo consilio opus esse, quasi hoc ritu ecclesia placetur, sed ut eo ipso primum ad christianam Religionem initientur. *c*)

Hinc haec consequentia prodit:

Unica tantum ecclesia est, sola baptisma tribuere potest. Qui huic unicae ecclesiae non est adscriptus, baptisma, quod valeat, tribuere non potest; atqui: haeretici huic ecclesiae non sunt adscripti, propterea baptizare non possunt; unde sequitur: omnes, ab haereticis baptizatos, anabaptizandos esse.

Cyprianus (in Epp. 73, 75, 76.) scripsit:

Tantum abesse, ut alios vi ad partes suas trahere conetur, ut potius ecclesiae pacem servare malit.

Anno CCLV. octodecim Episcopi Numidici, ex doctoribus Carthaginis congregatis, quorum triginta duo in decreto Synodi nuncupantur, movebant quaestionem: an haeretici, qui ad fidem catholicam

---

a) Cypriani, Epist. 70. et
Augustinus, de baptismate contr. Donat. I, 18.

b) Cypriani, Epist. 71, 73 et 74.

c) *Ejusdem*, Ep. 75.

transierint, anabaptizandi sint? quibus ab Episcopis Carthaginis responsum est: Baptisma ab una tantum ecclesia tribui posse, unde fluat, haereticorum baptisma valere non posse.

Idem responsum a Cypriano, Episcopo Mauritano, cui nomen Quintus, quique eum de haereticorum baptismate consultum iverat, latum est. *a*)

Sequenti anno CCLVI. Cyprianus, permotus a nonnullis Episcopis Africanis, qui de haereticorum anabaptismate dubitabant, secundum concilium, ubi septuaginta et unus Episcopi aderant, convocavit, qui quidem haereticorum baptisma nullam vim habere uno animo confirmarunt. Hoc decretum, simul cum eo, quod Episcopis numidicis Quintoque datum erat, ad Romanum Ep. Stephanum delatum est. *b*)

Jubajano cuidam, de haereticorum anabaptismate dubitanti, eamque ob causam ad Cyprianum literas danti, Cyprianus ipse respondit, rationibus omnibus in anabaptismatis haereticorum favorem, perspicue expositis. *c*)

Deinde Stephanus, epistola illa accepta, ad Cyprianum ejusque amicos, responsum reddidit superbo spiritu plenum, in quo haereticorum baptismatis causam suscipit, anabaptisma refellit et ad traditionem auctoritatemque sedis suae provocat. *d*) Idemque cum ab Africanis secundam recepisset

---

a) Cypriani, Ep. 72, 70, 71.
b) *Ejusdem*, Ep. 72, 73.
c) *Ejusdem*, Ep. 73.
d) *Ejusdem*, Ep. 74.

epistolam, Stephanus superbius etiam et importunius respondit, increpans acerbissime Cyprianum, eum falsi Christiani, falsi Apostoli, fraudulentique hominis nominibus insigniens, atque minitans se cum Africanis societatem ecclesiasticam rupturum esse. Quod ut evitarent, Africani legatos Romam miserunt, quos Stephanus non admisit, et ecclesiae suae interdixit, ne hospitio eos exciperent. *a*)

Mense Septembri anni CCLVI. iterum octoginta quinque Episcopi ex Africa, Mauritania et Numidia, simul cum Presbyteris, Diaconis et Laïcis, convenerunt. Ad hos quidem Cyprianus de acceptis literis retulit, et, oratione habita, sententiam eos rogavit. A quibus, uno ore, haereticorum baptisma, tertio rejectum est, decretumque illud: haereticos ad fidem catholicam transeuntes denuo baptizandos esse, confirmatum.

Hoc concilii consultum a Cypriano per Rogatianum, Diaconum suum, ad *Firmilianum*, simul cum epistola, missum est, ad quod Firmilianus epistola (Cypriani 75ma) respondit, qua omnia, quae scita essent, rata habuit.

Utrum haec controversia post Stephani mortem (anno CCLVII.) cessaverit; an vero Orientales et Africani a sententia sponte recesserint; an tota causa concilio Arelatensi (an. CCCXIV.) plenario dicto, diremta sit? quaestiones sunt, quas, cum ad me non spectent, intactas hic relinquo. *b*)

---

a) Cypriani, Ep. 75.

b) cf. Augustinus, de baptism. contr. Donat. Lib. II. (Ed. Benedict. Antv. 1700.) Tom. IX, pag. 66.

IV. *Condemnatio Origenis in duabus Synodis Alexandriae habitis. an. CCXXX.*

Fontes :

Eusebii, H. E. VI, 8 et 23.

Hieronymus, de viris illustribus cap. 54.

Origenes exeunte seculo secundo (an. CLXXXV.) a parentibus christianis in civitate aegyptiaca natus, primum Religionis liberaliumque artium doctrina, a pio doctoque patre *Leonida* imbutus est.

Cum primum ad sanctorum bibliorum inter Christianos cognitionem pervenisset, jam ad interiorem eorum familiaritatem adspiravit. Primis imbutus cognitionibus Alexandriam venit, ubi illustrem *Clementem*, Alexandriae Presbyterum, doctorem nactus est. Anno CCII. Severus Alexander legem promulgavit, qua vetuit : ne quis ad Judaismum aut Christianismum transiret — legem qua mox, contra Imperatoris mentem, pravissime homines abusi sunt. Hac quidem innixi, sectas, quae Imperatori odio erant, e medio tollere conabantur, caedentes per totum Imperium rom. quotquot se Christianos vel Judaeos profiteri ausi erant. Praecipue autem in Aegypto hi sicarii grassabantur, eorumdemque sub ictibus pater Origenis cecidit.

Origenes vix septemdecim annos natus, jam hac occasione summam pietatem erga patrem, Religionemque christianam praestitit, lubentissime sane, simul cum patre mortem occumbere volens, nisi mater eum retinuisset, vestesque occultasset. Bona

eorum paulo post in fiscum redacta sunt, ita ut matris, fratrum sororumque nutriendorum cura ad Origenem devolveretur, quam ita explevit, ut, pretio accepto, pueros educaret. Praeterea doctrinae incubuit, praecepta Religionis christianae cupidis tradendo.

In his paululum versato, *Demetrius* Alexandriae Episcopus, munus in schola, quae Alexandriae florebat, administrandum ei obtulit, quod Origenes libenter accepit. Saepenumero Origenes summa voluptate fuit affectus, quoties discipulorum, ob fidem catholicam, extremos cruciatus patientium, constantiam cerneret. Quin imo eos saepius ad ipsum supplicii locum comitabatur; illis, cum amplexu, valedicens, periculaque quibus ipse sese exponeret, dum eos ultimis vitae momentis consolatione confirmabat, nihil curans. *a*)

Jam doctor scholae Alexandrinae, scholis, quas illustris disciplinae platonicae sectator, *Ammonius Saccas* habuit, diligenter adfuit. Ut vero illecebras, quibus juvenilis aetas invitatur, effugeret, Origenes in se ipsum magna usus est severitate, interdiu, summa cum assiduitate, studiis suis, librorum sacrorum interpretationi, vacando.

Locum *Matth. XIX,* 12. Origenes ex literali sensu interpretans, ut omnem impudicitiae tentationem aeque ac suspicionem a se amoveret, singulare

---

a) Eusebii, H. E. Lib. VI, c. 1 — 5.

cepit consilium, exsecandi sibi membra virilia, quod prospere peregit. *a*)

Demetrius Episcopus ejus tutorque maximis eum ob hanc causam extulit laudibus, cohortatione adjecta, ut in munere administrando sedulo pergeret. — Cum ecclesiam Romanam videre cuperet, eo peregrinari instituit, unde mox Alexandriam reversus est. Interea quo commodius incumbere posset studiis, redux, scholam quam rexit, in duas divisit classes, alteram tironum, alteram provectiorum. Illos *Heracli*, discipulo suo, mandavit, hos ipse sibi sumsit. Jam vero vir factus, cum intellexisset quantae utilitatis in sacris libris interpretandis ipsi foret, hebraicae linguae interior notitia, extemplo ad eam discendam se strenue accinxit. Etiam in hoc reliquos ecclesiae doctores longe superans, qui V. T. cognitionem, nonnisi e graeca versione virorum LXX, aut e versione latina, hauriebant. Anno CCXV. ut, persecutionem Alexandriae contra Christianos ortam evitaret, Caesaream, urbem Palaestinae, confugit. Non solum autem ab hujus urbis Episcopo, sed etiam ab Hierosolymitano comiter exceptus est, adeo ut uterque, prae doctrinae ejus reverentia, muneris ecclesiastici administrationem ei *ultro* offerret. Qua de causa Demetrius eum Alexandriam revocavit, reprehendens utrumque Episcoporum. *b*)

Plerisque Episcopis desiderantibus, ut controver-

---

a) Eusebii, H. E. L. VI, 8.
b) *Ejusdem*, l. c.

sias nonnullas, in ecclesiis Achaïcis exortas, dijudicaret, anno CCXVIII. concedente Episcopo suo, a quo *litteras commendatorias* accepit, illuc profectus est. In hoc itinere Episcopus Caesareensis et Hierosolymitanus, impositis manibus Presbyteri dignitate eum induerunt. Invidia et ambitio quas Demetrius jam antea conceperat, nunc in vindictae exercendae furorem excreverunt, adeo ut Origeni, Alexandriae reduci, multimodas insidias strueret. Acerbissime enim objecit ei exsecta membra virilia, quinimo depravatae sacrae scripturae eum arguit. A qua persecutione non prius abstinuit, quam eum duobus Alexandriae, anno CCXXX, convocatis conciliis, munere, quo Alexandriae fungebatur, depulsum, Alexandria ejecisset. Qua re non contenti Patres, etiam Presbyteri munus ei rursus abrogarunt. *a*)

Haec decreta ab omnibus ecclesiis, exceptis iis,

---

a) EUSEBIUS, l. c. et HIERONYMUS de vir. illustr. cap. 54. EPIPHANIUS haer. 64. longe aliam expulsionis Origenis causam affert:

Auctore eo, Origenes, magistratibus ethnicis cogentibus, in partem conviviorum, quae in victimis mactatis haberi solebant, venit; unde factum sit ut hac poena afficeretur. Num autem hoc vero videtur simile, cum Origenes jam a prima aetate mortem pro Religione obeundam minime timuerit, nec non cum patre simul supplicio sese obtulerit, et nihil curans pericula, Martyres ad mortem comitatus sit, et pietate sanctoque Religionis amore membra sibi ipse exsecuerit; num, hunc virum, tali delicto mortem anteposuisse negaveris? Quid, quod cum haec *Epiphanii* sententia nullius scriptoris, praeter eum, testimonio confirmetur. Origenes ipse, qui ceterum omnia ingenue profitetur, hujus rei nullo verbo mentionem injicit, sed contra in *praefatione ad Commentarium in Joannem* contendit, injuriam sibi a Demetrio illatam esse.

quae in Achaja, Arabia, Palaestina et Phoenicia florebant, accepta sunt. Origenes igitur anno CCXXXI. Alexandria relicta, Caesaream Palaestinae se recepit, ubi ab Episcopo Theocristo comiter exceptus est. In hac ecclesia sacros libros interpretatus est, donec persecutione *Maximini* anno CCXXXV. saeviente, hunc etiam locum relinquere coactus est. Discessit Caesaream Cappadociae, unde, interfecto Imperatore illo, anno CCXXXVIII. Caesaream Palaestinae rediit. Anno CCXLIV. Bostram se contulit, conventui, qui ibi de Episcopi *Berylli* erroribus habebatur, interfuturus. (Vide infra apud hunc conventum.) Inde Alexandriam reversus est, adversario Demetrio jam diu vita defuncto. Reliquit autem anno CCXLVI. Alexandriam et ad concilium arabicum profectus est, errores haereticorum arabicorum auctoritate sua impugnaturus.

Anno CCL. Origenes, dum *Decius* Imperator persecutione in Christianos grassaretur, crudelissimos cruciatus subiit, jam vero anno CCLII. libertate recuperata, anno aetatis LXIX. post Christum CCLXI, Tyri e vita decessit.

V. Errores Episcopi Berylli Bostrensis. a)
Concilium anno CCXLIV.

Fontes: Eusebii, H. E. VI, 20 et 33.
Hieronymus, de vir. illustr. cap. 60.
Socrates, H. E. III, 7.

---

a) Socrates H. E. III, 7. Beryllum *Philadelphiae* in Arabia Episcopum fuisse, dicit.

Beryllus Religionis christianae studiosus assecla, qui jam diu ecclesiae Bostrensis, in Arabia, Episcopatum gesserat, auctor epistolarum scriptarum, quas Alexander Hierosolymorum Episc. dignas censuit in bibliothecam suam ecclesiasticam referri *a*) — non solum apud sui temporis homines, sed etiam ad posteros mansuram gloriam nactus erat; hic, inquam, Beryllus, annis vitae serioribus *quoad doctrinam de Christo* in errorem incidit, quamquam bonus hic vir, et falsis tantum opinionibus seductus, mox ei renunciavit, quippe cum Origenes comitate et mansuetudine, quibus uti consuevit, rationum falsitatem ei demonstrasset. *b*) Tamen evitare non potuit quin haeretici nomine notaretur.

Beryllus temporibus Imperatorum Romanorum *Severi*, *Maximini*, utriusque *Gordiani* floruit. Error ejus, testibus supra commemoratis scriptoribus, hic erat: *c*)

Christus, antequam a Maria partu editus esset, non erat Deus, quin etiam post partum homo nominari possit, Numen tamen Patris in se gessit. *d*)

Eusebius l. c. narrat: Plures Episcopos eam ob

---

a) Eusebii, H. E. VI, 20.

b) *Ejusdem*, H. E. VI, 33.

c) Equidem maxime vestigiis Eusebii insisto, cum quidem hic acta concilii decretumque ipsum et colloquium inter Beryllum et Origenem in manibus habuerit, quamobrem justissimum ferre potuit judicium.

d) Hinc vero concludi non potest, *Beryllum Sabellianum fuisse*; qui unam tantum personam statuebant, et Patrem simul Filium simul Spiritum S. eandem ὑποστασιν esse contendebant.

causam *Colloquia* et *Quaestiones* habuisse, quibus conciliorum nomen dari non constat. Unum modo concilium eam ob causam habitum, ex historia liquet; quod quidem *illud Bostrense*, anno CCXLIV, est, cui *Origenes* intererat. Huic Episcopo errores plus semel exprobratos fuisse apparet, neque tamen eum inde abducere quisquam valuerat.

Origenes, cujus nomen jam multis controversiis compositis satis inclaruerat, plane ita animum comparatum habuit, ut a via aberrantes in rectam deducere posset. Tum temporis, Caesareae Palaestinensis — aut Athenis — commorabatur, unde ad concilium Bostrense evocatus est. Simulac autem ipse advenerat, benevole cum Beryllo collocutus est, ut intelligeret, quo errore, bonus hic vir, teneretur. Vix hoc intellecto tot tantisque argumentis falsitatem opinionis coarguit, ut ille in rectam reverteretur viam et insuper Origeni per epistolas gratias ageret. Dolendum sane est, hoc Origenis Beryllique colloquium intercidisse!

VI. De Haereticis arabicis.

Concilium anno CCXLVI.

Eusebius in H. E. L. VI, 37.

Idem huic sectae fatum obtigit ut adveniente Origene plane tolleretur.

Erant enim, ut ita dicam, *Materialistae christiani*, qui, ex opinione *Moshemii a*), *ex secta Epicurea* originem duxerunt.

---

a) Commentarii de reb. Christian. ante Constant. M. p. 719.

Eusebius l. c. dilucide errorem ejus narrat:
„Asserebant, inquit, hominum animas in prae-„senti quidem seculo *unà cum corporibus inte-„rire atque corrumpi :* rursus vero resurrectionis „tempore simul cum *iisdem corporibus* ad vitam „esse redituras."

Quibus erroribus, sacrae scripturae contrariis, ut resisteretur, anno CCXLVI. simul cum Origene, magna doctorum multitudo convocata est. Vix Origènes adveniens orationem habuit, in qua gravissimis rationibus vanitatem erroris ostendit, continuo qui eum defenderant, ei renuntiaverunt. Ac ita quidem pax restituta est.

VII. De Felicissimo et receptione Lapsorum. Concilium Carthaginiense an. CCLI.

Fontes: CYPRIANI, Epp. 10, 11, 12, 13, 14, 15, 17, 26, 28, 32, 35, 40, 42, 52, 55, 64, 68.

Dum Imperatores *Nero, Domitianus, Trajanus, Lucius Verus, Severus, Alexander* persecutionibus in Christianos saeviebant, pauci tantum eo impietatis progressi sunt, ut Religioni fidem denegarent idolisque sacra facerent. *Decio* imperante alia erupit persecutio, cui ne mortuo quidem Imperatore finis factus est. Sub successore enim *Gallo*, minori tamen crudelitate, in persequendis Christianis pergebatur. In periculis vitae reique familiaris amittendae, multi non ea animi fortitudine erant, qua Religioni iis adhaerendum erat, alii literis, libertatis causa, acquisitis, Religionem abdicare non

dubitabant. *a*) Hoc accidit non solum Aegyptiis et Hispanicis ecclesiis, sed etiam omnium florentissimae in Africa, Carthaginis, ut Laïci et Clerici Religionis fidem turpiter desererent. *b*) Hi infideles *Lapsi* vocabantur. Summum autem crimen in eo consistebat, si Diis victimas offerrent, aut thura cremarent, aut ipsis conviviis ethnicorum interessent. Vix dum persecutionis rabies — cum *Decius* contra *Gothos* rem gereret, — aliquantum labefacta, multi ad reditum in ecclesiam iterum adspirabant. Adibant igitur eos, qui Religionis causa jam multa perpessi erant, vel qui eandem ob causam carceribus inclusi erant, — quos *Martyres* nominare solebant, — a quibus *libellos pacis* acciperent; *c*) his vero, cum se lapsos ut fratres agnovisse testati essent, reditum in ecclesiae gremium expeditiorem reddiderunt.

Multi, nullo antea adhibito specimine, hujus modi libellis acceptis operam dabant ut in ecclesiam reciperentur. Hoc quidem in ecclesia Carthaginiensi evenit. *Cyprianus*, parentibus ethnicis natus, cum anno CCXLIV. fidei christianae se addixisset, hoc tempore Carthaginis Episcopus erat. Aufugerat autem, ut inter persecutiones se morti eriperet, *d*) sed hac

---

a) Eusebii, H. E. VI, 41.

b) Cypriani, Epp. 35, 64, 68.

c) Tertullianus, ad Martyres cap. I. et de Pudicit. cap. 22. Eusebii, H. E. VI, 42.

d) Cypriani, Epp. 15 et 10.

hac fuga multorum invidorum odium contra se inflammaverat. *a*) Ante ipsam persecutionem *Novatus* quidam Carthaginis Presbyter, dissidens cum Episcopo, Laïcum nomine *Felicissimum*, venia Episcopi antea non impetrata, Diaconi dignitate ornaverat, paulo post Romam se transferens. Hujus mox in enarrandis controversiis Novatianis mentionem faciemus.

Illi Cypriani adversarii, quorum principem Diaconum Novatus instituerat, lapsos, priusquam Episcopi veniam impetrassent, statim in *omnia ecclesiae jura* restituerunt, eosque sine ulla expiatione, nec manibus quidem antea impositis, ad sacram coenam admittebant.

Quod cum Cyprianus rescivisset, graviter se rem ferre, in multis epistolis testatus est. *b*) Cyprianus martyres confessoresque Christianismi et Carthaginis Presbyteros *c*), ne J. Chr. leges violarent, monuit; Presbyteris autem negligentiam admodum exprobravit, minatus nisi rei gerendae modum mutarent, se perfecturum, ut, per aliquod tempus, ecclesia excluderentur, ecclesiam per literas exhortatus est, ne doctorum exemplum sequerentur, pollicitus se totam causam perquisiturum esse; cui quaestioni ipsi *d*) interfuturi essent. Hi Christiani a Roma

---

a) Cypriani, Ep. 40.
b) *Ejusdem*, Ep. 10.
c) *Ejusdem*, Ep. 11.
d) *Ejusdem*, Ep. 12.

ipsa admoniti sunt et incitati ut lapsos expiarent, nec ante, quam in morbum inciderent, vel morti proximi essent, eos in ecclesiam reciperent. *a*) Cyprianus ipse doctores Romanos comprobat, consolatione addita, lapsis fore tempus, quo pax in ecclesia restituatur. *b*) Sed nihil hoc provectum est. Saepius enim et postea, libellis de pace inter lapsos distributis, ipsi, sine mora, in ecclesiam recipiebantur.

Lucianus quidam, qui a partibus adversariorum stabat, sub specie amici, omnes in ecclesia res gestas ad Cyprianum perscripsit, addita petitione, ne pacem cum martyribus rumperet. *c*)

Lapsi, audaciores facti, importune efflagitabant, ut reciperentur. Hoc non solum Carthagine sed in aliis etiam Africae ecclesiis perficere studuerunt. Cyprianus ad Presbyteros rescripsit, lapsos rogavit ut quieti essent et poenitentiam agerent, donec in concilio causa dirempta foret. *d*) Cui benignae admonitioni a doctoribus Romanis gestus mos fuit. *e*) Cum autem quovis molimine nihil perficeretur, et lapsi, paucis exceptis, nihilo secius reciperentur, Cyprianus tandem hos omnes ex ecclesia exsules esse voluit, qui cum lapsis societatem haberent. *f*)

Quae cum ita sese haberent, Cyprianus, qui

---

a) Cypriani, Ep. 3.
b) *Ejusdem*, Epp. 13, 14, 15.
c) *Ejusdem*, Ep. 17.
d) *Ejusdem*, Ep. 18.
e) *Ejusdem*, Epp. 31 et 26.
f) *Ejusdem*, Ep. 28.

semper ecclesiae commodis prospiciebat, duos Episcopos, *Caldonium* et *Herculanum*, et duos Presbyteros, *Rogatianum* et *Numidicum*, Carthaginem misit, stipem ibi inter pauperes distributuros; simul artificibus et opificibus darent, quo negotia continuare possent; denique ut e fidelibus eligerent eos, qui muneri ecclesiastico administrando pares viderentur. Vix cum legati Carthaginem advenissent, *Felicissimus* acerrime eis adversatus, contendit: Hoc sui officii esse, qui ipse Diaconus esset, minitans se quemcunque Episcopi jussa perficere volentem esse exclusurum. Haec legati ad Cyprianum retulerunt, qui imperavit, ut ipse Felicissimus excluderetur, et Augendum quemdam qui ejus sodalis erat, eadem poena affecit. Hinc vero dissidii flamma altissime erupit. Quinque Presbyteri, qui jam antea Cypriano Episcopo obtrectaverant, ad partes Felicissimi palam transierunt. *a*) Inde ab hoc tempore nulli operae pepercerunt quo quam plurimos ad partes suas pertraherent.

Nec hoc successu caruit, cum omnibus lapsis receptum in ecclesiam promitterent.

Vix cum pax rediisset, Cyprianus etiam Carthaginem rediit. Protinus autem hic quod promiserat, concilium convocavit, ad quod haud contemnendus numerus Episcoporum, Presbyterorum, Diaconorum et Laïcorum confluxit. Causa Lapsorum hic

---

a) Cypriani, Ep. 40.

agitata est, loci e sacris libris propositi, quae tanquam certae regulae essent, et hujus modi decretum factum:

Qui a magistratibus ethnicis libellos pacis coëmissent, flagitio post per poenitentiam expiato, extemplo in ecclesiam recipiendos esse; qui contra idolis sacra fecissent, iis poenitentiam prolixiorem tolerandam esse, quamvis non omnis spes receptus in ecclesiam iis praecidatur. Aegrotis mitius etiam consultum. *a*) Eadem sententia, de Clericis qui lapsi erant, lata est, reservata tamen praeclusione ab omni munere ecclesiastico.

Felicissimi et quinque Presbyterorum causa ad Synodum etiam relata est, hi, simul cum absente Novato, exclusi sunt. *b*)

Quod decretum Cyprianus ecclesiae Romanae nec non aliis, ut veri videtur simile, notum fecit. Felicissimus hac exclusione nihil perterrefactus, Episcopum proprium nomine Fortunatum, — unum ex quinque Presbyteris — ordine episcopali per quinque Episcopos numidicos, haud bonae famae ornatum, creavit. *c*) Fortunatus Episcopi sui dignitatem stabilire studuit, quam ob causam epistolas ad alios Episcopos dimisit, Felicissimus ipse Romam profectus est, ut Episcopum Cornelium, ad Episcopi sui dignitatem agnoscendam, permoveret.

---

a) Tempore saevientis persecutionis omnes lapsi antea perfuncti poenitentia, sine discrimine recepti sunt. Cf. CYPR. Ep. 54.

b) CYPRIANI, Ep. 52.

c) *Ejusdem*, Ep. 55.

Nihil tamen profecit: Cyprianus enim nuntio suo eum praeoccupaverat. Ab hoc inde tempore narrationis filum interrumpitur.

VIII. *De Novatiano a) et controversia, quae, propter eum, in ecclesia mota est.*

Concilium Romae anno CCLI.

Fontes, ex quibus hujus controversiae historia hauriri possit, innumeri sunt. Nobis sufficiat indicasse gravissimos, et locos qui ad certum finem perducere possunt, ubi opus erit, afferre:

EUSEBIUS, H. E. VI, 13, 43, 45; VII, 8.
CYPRIANI, Epp. 41, 42, 43, 45, 46, 47, 48, 49, 52, 57, 67.
HIERONYMUS, de vir. illustr. cap. 70.

Nullum in historia exstat exemplum, quod odium acrius, aut vehementiorem persequendi libidinem prodat, quam controversiae hae Novatiani.

---

a) Novatianus, parentibus ethnicis natus, haud contemnendis doctrinae dotibus instructus philosophiam amplexus erat. (*Cypriani* Ep. 52. et *Eusebii* H. E. VI, 43.) Circa dimidium tertii seculi, cum antea in ordine catechumenorum versatus esset, se Christi Religioni addixit. Testante *Cornelio* apud *Eusebium* H. E. VI, 13. baptisma ipsum non accepit, sed — secundum consuetudinem qua tum temporis aegroti et invalidi in ecclesiam recipiebantur — lecto incumbens, aqua conspersus est. (*Baptisma clinicorum* vulgo: *Betttaufe*) Auctore eodem, diabolo obsessus erat, qui tum demum ad Religionem christianam transiit, cum nullus veneficus diabolum expellere valeret. (*Euseb.* l. c.) Paulo post per baptisma initiatus Novatianus, a Fabiano Romano Ep. Presbyteri dignitate ornatus est. Qui hoc dictis Cornelii conciliari potest? In hoc etiam munere administrando Cornelius multa vituperatione digna reperisse sibi visus est. (*Euseb.* VI, 43.)

Occasio controversiae haec erat:

Inter persecutionem, qua *Decius* in Christianos saeviebat, multi, ut supra demonstravimus, fidem Religioni datam, non conservarunt, quippe idolis ethnicorum victimas offerentes. Cum vero finita persecutione multi recipi concupiscerent, quaesitum est: Quemadmodum in lapsos agere consultum sit; utrum recipi possent, nec ne?

Cornelius, Presbyter romanus, contendit: post exactam poenitentiam eos iterum recipiendos esse. *Novatianus* contra severior contendit: talibus hominibus ab ecclesia veniam dari non posse, capitale hoc crimen esse, quod solus Deus ignoscere iis possit. Lapsos igitur admonendos esse, ut ad vitae dies poenitentiae vacarent, divinam gratiam exspectantes. Mox Cornelio Novatianoque sectatores adhaeserunt.

Fabiano, qui anno CCLI. mortem obiit, nondum alius Episcopus suffectus erat; unaquaque secta praesidem suum ad hanc dignitatem creatum cupiente. Sed Novatianus ultro declaravit: se ad hunc Episcopatum non adspirare. Sic Cornelius plurimis suffragiis adjutus Episcopus electus est. Novatianus cum suis sectatoribus, in quorum numero nonnulli etiam Presbyteri erant, mitioris Episcopi electionem non approbaverunt, jamque id imaginabantur ut ab adversariis se secernerent. Novatus, cujus jam supra mentio facta est, Presbyter Carthaginensis, hoc ipso tempore Romam venit. Qui cum Cypriano mitiora placere non ignoraret, ut

Episcopo fastidium crearet, ad Novatiani partes transiit.

Cornelius interea ad Cyprianum, se Episcopum creatum esse et se petere ut etiam in Africa agnosceretur, perscripsit. Cyprianus, sine dubio de turbis Romae exortis certior factus, protinus, ante rem consideratam, hoc facere dubitabat. Rem igitur exploraturus duos Episcopos Africanos *Caledonium* et *Fortunatum*, Romam misit cum epistolis, non ad Cornelium, sed ad Clericos alios et Episcopos peregrinos directis, a quibus petiit ut in rem accuratius inquirerent. Episcopi et Clerici responderunt: Cornelium esse legitimum Episcopum, ad quod confirmandum duumviros, *Stephanum* et *Pompejum* miserunt. Hoc testimonio Cornelius ut legitimus Episcopus agnoscitur. Mirum autem quantum interea Romae indignatio accrevit. Novatianus et amici, quorum numerus in diem augebatur, Cornelium Episcopum esse noluerunt. Novatus quem Cyprianus pravissimum dicit *a*), et Evaristus quidam Novatianum urgent, ut Episcopi dignitate se ornari sinat. Persuadent ei, et alacres amici tres Episcopos exquirunt, — hoc numero tum opus erat, si quem Episcopi dignitate ornare vellent. — Hi quidem eo adducuntur, ut Novatianum impositis manibus Episcopum inaugurarent. *b*)

---

a) Ep. 49.

b) Teste *Cornelio* apud *Eusebium* H. E. VI, 43. hi Episcopi erant homines rustici et stupidi, qui a Novatiani amicis decima hora vespertina inebriati, eoque adacti sunt, ut eum inaugurarent.

Novatianus, quo in Episcopatu confirmaretur, ad diversas ecclesias epistolas dimisit, in Africam autem legatos ablegavit, qui apud Cyprianum quidem nihil profecerunt, plurimos tamen eorum sibi conciliaverunt, qui lapsos severius esse tractandos censebant.

Hinc factum est, ut in plerisque locis, ecclesiae factionibus scinderentur, et mitiorum et severiorum quaeque suos crearet Episcopos. In Gallia etiam Episcopi plurimi causae Novatiani favebant. *a*)

Has inter turbas, Cornelius Episcopos suos Romam convocavit, quorum in concilio, consilia mitiora concilii Carthaginiensis probabantur, et Novatianus sententiam suam defensurus, ecclesia excludebatur.

Ab hoc inde tempore ejus causa in deterius ferebatur, numerus Novatiani amicorum quotidie decrevit, quippe cum consultius sibi fore putarent cum plurimis stare. Jam vero Novatianus nihil intentatum relinquebat, ut amicorum animos sibi reconciliaret: ac hac occasione fieri potuit, ut ad sacram coenam congregatos manibus prensaret et per corpus et sanguinem Christi, ne, se derelicto, ad partes Cornelii transirent, obtestaretur. *b*)

Haec est historia funestae hujus controversiae, cum cujus origine tantae in eccl. tempestates motae sunt. — Secta *Novatianorum* aut *Purorum* (κα-

---

a) Cypriani, Ep. 67.

b) Eusebius, H. E. l. c.

θαροι) — ita se nominari amabant — usque ad VII. seculum duravit.

Attamen rem accuratius examinans, Novatianum tanti erroris arguere non possum, quantum vulgo scriptores ei inferunt. Siquidem Novatianus Cornelio Episcopo sese opposuit, quem si Episcopum creatum esse noluit, justissimis ex causis hoc factum esse crediderim. Virum eum esse judicàvit, qui adversus peccatores nimis indulgens esset, qui homines in ecclesiam reciperet, quibus puritas ejus inquinaretur. Insuper mores Episcopi Cornelii sine dubio eum offenderunt. *a*) Caeterum si Novatianus lapsos in ecclesia recipi noluit, eosque ad poenitentiam cohortabatur, hujusmodi peccatum a solo Deo condonari posse contendens, multum tamen aberat, ut lapsis veniam spemque ad felicitatem aeternam abjudicaret, affirmans potius, non esse in potestate ecclesiae hoc peccatum condonare. Ut brevibus praecidam: Novatianus eam solam ob causam erroris reus accusabatur, quod veritatem dogmatis, quarto seculo inventi: „*extra ecclesiam nullam esse salutem*" non prorsus concedere voluisset. *b*)

---

a) cf. Cypriani, Ep. 57. cum Euseb. H. E. VI, 45.

b) Socrates, H. E. I, 10; IV, 28; VII, 25. et Sozomenus, H. E. II, 8; VII, 18 et 19.
Socrates et Sozomenus qui serius viventes, mitius de Novatianis judicabant, etiam famam, tanquam Novatiani essent, contra se excitaverunt. Hoc autem demonstrandum erat.

IX. Occasio concilii Carthaginiensis an. CCLII.

Fontes: CYPRIANI Epp. 54, et 59.

In hoc concilio *duae res* tractantur. Primo *de lapsis*, tum *de infantium baptismate*.

Quod ad primum attinet, pauca tantum praemonenda esse videntur, quippe cum jam supra ipsam controversiae historiam, fuse absolverim. Comperimus enim a concilio Carthaginiensi CCLI. de lapsis, qui idolis immolassent, scitum esse: agendam iis esse poenitentiam diuturnam, ea tamen spe fore, ut in ecclesiam reciperentur, saltem antequam morerentur. Hoc decretum Episcopis, re bene perpensa, durius visum est, quam ob rem in hoc concilio illud mitigare studebant, ita quidem, ut, dum poenitentiam agerent, sacrae coenae interesse permitteretur. Hoc ab Episcopis sexaginta sex, qui Carthagine aderant, confirmatum et decretum a Cypriano ad Romanum Ep. Cornelium transmissum est. (Ep. 54.)

Quod ad alteram partem attinet, sola epistola 59. Cypriani, qua scriptum synodale ad *Fidum* Episcopum continetur, fonte uti possumus. Jam dudum baptisma tanquam sacra formula initiandorum eorum, qui ad Religionem christianam transierint, existimabatur, et infantibus etiam a Christianis parentibus natis impertiebatur. *a*) In quaestione de tempore quo infantes baptizandi sint; utrum

a) cf. TERTULLIANUS, de baptism. cap. 14. „Cur baptizari debet aetas innocens?"

die octavo, quo Judaeorum circumcisio fieri solebat; aut simulac partu editi? In hac quaestione multi ecclesiae doctores occupabantur. Quo circa concilium Carthaginiense scripto *Fidi* Ep. permotum, ita decrevit: non opus esse ut baptisma infantium ad diem octavum retardetur, sed ut gratiae baptismatis quam primum fieri possit, participes fiant.

Quod ad *Privatum* quidem, qui in hoc concilium ad sui defensionem prodiit, hoc tantum constat, eum rejectum fuisse.

X. *Basilides et Martialis, duo Episcopi Hispanici, Carthagine concilii convocandi occasionem praebent. Anno CCLIV.*

Cypriani Ep. 68.

Secundum decretum, quod Carthagine CCLI. emanavit, et lapsis Clericis et Laïcis poenitentiam agendam et illis munus abrogandum esse, *Basilidi* et *Martiali*, qui inter persecutionem pacis libellos coëmerant, munera abrogata sunt, poenitentiaeque poena imposita. Basilides mox ex Hispania discessit Romam, sperans, se a Stephano Episcopo alia dignitate ecclesiastica ornatum iri. Et sane Stephanus, rerum in Hispania gestarum inscius, ab hoc Episcopo deceptus est, ita ut eum in ecclesiae societatem reciperet. *a*)

Quod cum Episcopi Hispanici rescivissent, in

a) An Martialis hoc fecerit, parum constat. Contendit autem hic, se legitimum esse Episcopum.

magnam haesitationem inciderunt, et quid agerent incerti, ut jura vindicarent, legatos cum epistolis auxilium petituros in Africam miserunt.

Cyprianus concilium convocavit anno CCLIV. In eo, re cum Episcopis suis deliberata, legatis hoc reddidit responsum:

Basilidem et Martialem legitimos Episcopos haberi non amplius posse, nec quidquam iis prodesse, quod Romae fraudulenter egerint, qua re contra eorum crimen atrocius factum sit...

XI. Paulus Samosatenus, erroribus suis duobus conciliis an. CCLXV et CCLXIX Antiochiae habendis, occasionem suppeditat. a)

Fontes: Eusebii, H. E. V, 28; VII, 27, 28, 29, 30.

Mansi, sacrorum Conciliorum nova et amplissima collectio (Ed. Florent. 1759.) Tom. I. p. 1034, 1039, 1047, 1095, 1101.

Epiphanii, Haer. 65.

Theodoreti, H. E. I, 4. Fab. Haer. II, 8.

Paulus in obscuro loco *Syriae* natus a nomine loci natalis nomen *Samosateni* accepit. *b*) Paulo post dimidium tertii seculi Paulus Antiochiam venit

---

a) In nullum errorem antiqui et recentiores scriptores inquisiverunt adeo diligenter, quam in hunc Pauli Samosateni. Nullibi vero scriptorum testimonia inter se adeo discrepantia sunt. Difficile ergo est, de ejus erroribus certum quid tradere.

Nonnulli hunc errorem Nestoriano comparaverunt, alii Sabellianismum, alii Photinianismum nominaverunt, alii denique nihil referunt.

b) Eusebii, H. E. VII, 30. et Theodoreti, F. H. II, 8.

et anno CCLX Episcopus creatus est, quae sedes, Demetrio mortuo, tunc temporis vacabat. *a*) In literis admodum versatus erat, et Principum gratiam, ut videtur, sibi conciliandi artem calluit.

Praeter Episcopatum, munus etiam seculare *Procuratoris Ducenarii* (Δουκηναρις) administravit; cujus cura ei jam fortasse ab *Odenato*, Syriae magnaeque Asiae parti imperante, demandata erat. Poſt obitum hujus regis (an. CCLXVI aut CCLXVII.) Paulus, *Zenobiae*, conjugis ejus, quae conjugem regno exceperat, summa gratia fruebatur. In scripto synodali *b*) Paulus summae arrogantiae superbiaeque, siquidem e sentina plebis clericalis prodierit, incusatur. Haud aliter quam splendidissimo comitatu circumstipatus in publicum prodiisse dicitur, quodque conventibus ecclesiasticis in sublimi solio sedens interfuerit, seque Ducenarium salutari summopere delectatus sit. Insuper idem a coetu, quem gubernabat, exegisse fertur, ut sibi, dum concionaretur, applauderent. Sacra etiam carmina, quae in honorem Christi cani solebant, abrogasse, aliaque, quae in festo Paschali non ab ecclesia, sed a mulieribus canerentur, jussisse traditur. In concionationibus bonos viros perstringere et se ipsum laudibus efferre solebat, denique cum feminis, — quas *Eusebius* „*subintroductas* — συνεισακτες —" nominat, — non solum ipse vetitam habuisse consuetu-

---

a) Eusebii, H. E. VII, 27.

b) *Ejusdem*, H. E. VII, 30.

dinem, sed etiam Presbyteros et Clericos variis illecebris, ut suum exemplum sequantur, perduxisse traditur.

Ad errores Pauli exponendos opus est, ut opinor, ut de erroribus *Artemae* aut *Artemonis* cujusdam, qui fine secundi aut initio tertii seculi vixisse videtur, et qui in scripto synodali, supra commemorato, *pater Pauli* dicitur, cujus errorem Paulus modo recoxerit, pauca praemittamus. *a*)

Artemas docebat:

Christum non esse verum Deum, quod doceat ecclesia catholica. Christum solum esse hominem a Maria virgine genitum, qui autem ingenii animique virtutibus omnes Prophetas antecelluerit. *b*)

Artemon et amici ejus, librorum sacrorum locos corrupisse et locum 1. Joan. V, 7. e sacra scriptura removisse dicuntur. *c*)

Error Pauli ipsius is esse mihi videtur:

Unum esse Deum, et hunc Deum esse Patrem *d*); Christum nil praeter hominem esse, qui existentiam Mariae debeat. Huic autem homini verbum vel divinam rationem vel sapientiam se adjunxisse, ac hac quidem opitulante summum illud ascendisse

---

a) Eusebii, H. E. V, 28.

b) Theodoreti, F. H. II, 4.

c) Eusebii, H. E. V, 28.

Quod ad hoc opprobrium attinet, hoc crimen committi non poterat, nisi miraculum statuamus. Quomodo fieri potuisse videtur, ut secta haud numerosa, ex omnibus manuscriptis, quae tum temporis divulgata erant, hunc locum exterminaverit?

d) Epiphanius, Haer. 65 et Mansi, l. c. p. 1033.

virtutis fastigium. Hac eadem juvante, eum praecepta et miracula edidisse, quibus meritis Filii Dei nomen acquisierit. Hoc autem verbum Christum cruci affixum iterum reliquisse et ad Deum Patrem rediisse. *a*)

Priusquam Pauli errores in conciliis ventilarentur, jam nonnulli Episcopi propter eos literas ad eum misisse videntur. Equidem huc referendum puto, epistolam *Dionysii* Episcopi Alexandrini *b*), unde Paulum ipsum saepius ad Dionysium scripsisse, et ad eum *decem quaestiones* ad respondendum transmisisse, apparet. *c*) Jam vero anno CCLXV Antiochiae Episcopi Asiatici convenerunt, in quorum numero erant Firmilianus, Gregorius cognomine Thaumaturgus, Helenus, et alii, qui de Pauli errore decernerent, nec vero quidquam profecerunt. Paulus ipse in hoc concilio aderat, tam dextre autem causam suam egit, celando errorem, ut propter crimina ei ingesta condemnare eum non auderent. Hoc concilio dimisso, sex Episcopi, quorum *Eusebius d*) *tres* commemorat, in scripto synodali autem *e*) omnes *sex*, quorum nomina haec sunt: Hymenaeus, Theophilus, Theotecnus, Maximus, Proculus, Bolanus, alio modo Paulum erroris convincere conabantur.

---

a) Eusebii, H. E. VII, 27 — 30 et V, 28.
Mansi, l. c. pag. 1095.
Theodoreti, H. E. I, 4. et Epiphanii, Haer. 65.

b) Mansi, l. c. p. 1039.

c) *Ejusdem*, l. c. p. 1047.

d) H. E. VII, 28.

e) H. E. VII, 30.

Conscripserunt enim symbolum fidei catholicae, in quo doctrina de Deo et Trinitate copiose exposita erat, et postulaverunt ut Paulus de eo sententiam proferret. *a*) Dionysius etiam decem, supra commemoratas, quaestiones refutare studuit.

Anno CCLXIX alterum concilium habitum est. Cui quoque Paulus intererat, ejusque causa eundem eventum habuisset, nisi Presbyter Antiochenus quidam, nomine *Malchion*, adfuisset, qui, ut videtur, non contemnendus philosophus neque artis dialecticae imperitus erat. *b*) Hic quidem omnia maximopere annixus est, ut Episcopum erroris convinceret. Quod ei contigit. Jam vero Episcopis congregatis nihil obstitit, quo minus hoc decretum facerent:

Paulo munus abrogandum eumque ecclesiae societate excludendum esse. Loco Pauli, Demetriani filium *Domnum* Episcopum creaverunt.

Hoc decretum sub forma scripti synodalis, quod Malchion confecerat, *c*) ad Dionysium Romae Ep., ad Maximum Alexandriae Ep. aliosque Episcopos transmissum est.

Paulus autem, qui, sine dubio, favore Zenobiae reginae confidebat, hoc decretum non curans domum,

---

a) Mansi, l. c. p. 1034.

b) Veri videtur simile, Malchionem hac ipsa de causa, ut hominem versutum ad concilium adductum esse. Aderant etiam scribae, qui totum Malchionis cum Paulo colloquium verbotenus calamo exciperent.

Mansi, l. c. p. 1101. *particulam* hujus colloquii nobis exhibuit.

c) Hieronymus, de vir. illustr. cap. 72.

mam, in qua habitabat, quae ecclesiae propria erat — τȣ της ἐκκλησιας οἰκȣ — recenti Episcopo concedere noluit. Christiani Antiochiae igitur eo adacti sunt, ut Aurelianum Imperatorem, benevolum tum temporis Christianis, adirent. Hic vero hujuscemodi responsum reddidit: ei domum concedendam esse, quem Romani Episcopi cum Italicis fratrem agnoscerent. Agnoverunt autem Domnum. Huic decreto satisfieri haud prius poterat, quam Zenobia ab Aureliano victa et Antiochia in Romanam ditionem redacta esset. (an. CCLXXII.) His factis, Paulus, summa cum ignominia, Imperatore jubente, ecclesia expulsus est. *a*)

Amici ejus nomine *Samosatenianorum, Paulianorum, Paulinistarum* noti, quibus alii insuper errores vitio vertebantur, exeunte seculo quinto interierunt. *b*)

XII. Concilium Eliberitanum an. CCCV. Concilium Ancyrae et concilium Neocaesareae an. CCCXVIII.

Ii qui nondum ad Christi Religionem transierant, jam paulo poſt Christianismum conditum, odio in eum correpti, vitia et scelera sectatoribus ejus adspergebant. Quibus calumniis occursuri, Christiani

---

a) Eusebii, H. E. VII, 30.

b) In concilio Nicaeno constitutum est: Samosatenianos, si ad ecclesiam catholicam redirent, anabaptizandos esse. (Canon. XIX.)
cf. Eusebius, de vita Constantini M. III, 64.

operam dabant ut quaecunque offendere possint gentiles, solerter evitarent, omnes vires ad morum integritatem et animi sinceritatem conservandam impendendo. Officio datum est doctoribus ut animos intentos haberent in ecclesiae mores, et hos qui forsan via aberrassent, hortarentur, indignos autem et intractabiles excluderent.

Ineunte tertio seculo ecclesias Hispaniae, Phrygiae et Ponti, disciplinae socordia et morum depravatio vitiaverat. Quam ob rem his tribus conciliis legum ferendarum, flagitiosorum in perpetuum excludendorum et omnino ordinis, disciplinae et puritatis ecclesiae J. Chr. restituendae, summus finis propositus erat.

Aderant *in concilio Eliberitano* secundum alios XIX. secundum alios XLIII. Episcopi et XXIV. aut XXVI. Presbyteri, simul cum multis Diaconis et Laïcis. Exhibuerunt LXXXI. canones, qui omnes, quam depravati fuerint mores Clericorum et Laïcorum, testantur. Collecti sunt in *Joan. Harduini* Actis Conciliorum et Epistolis decretalibus ac Constitutionibus summorum Pontificum. Paris. 1715. Tom. I. pag. 247. usque ad pag. 258.

Canones XXIV. quos secunda synodus *Ancyrae* exhibuit, duo de viginti Episcopi ex omnibus fere provinciis Asiae, quae tum in potestate Romanorum erant, subscripserunt.

Collecti sunt in *Harduini*, l. c. Tom. I. pag. 270 — 280.

In tertio concilio XIV. canones exhibiti exstant, eque subscriptionibus liquet, multos Episcopos hic adfuisse, qui etiam Ancyrae fuerant.

Collecti sunt in *Harduini*, l. c. p. 281 — 286.

XIII. *Controversiae Donatistarum plurimis conciliis et colloquiis materiam praebentes.*

Fontes: Optatus, (Milevitanus) de Schismate Donatistarum libri septem. (Ed. Ell. Dupin Antverp. 1702.)

Ell. Dupin, Monumenta vetera ad Donatistarum historiam pertinentia. (In Ed. Optati p. 143 — 224.)

Augustini, Opera Tom. IX. (Edit. Benedict. Antverp. 1700.) et *Epist.* in Tom. II.

Eusebii, H. E. X, 5 — 7.

Hoc Caput secundum cum historia controversiarum harum posse terminari, mirum quanta laetitia perfundar. Ista enim nobis manifeste declarat, in quae devia odium, cupido et superstitio hominem seducere valeant. Priusquam autem originem et progressum hujus controversiae historiae exponere incipiam, *duae quaestiones* mihi absolvendae sunt, quarum cognitio magnae utilitati nobis erit. Haud enim levis momenti in ipsa controversia fuerunt.

1. *Quinam facinorosi nomine Traditorum nuncupati sint?*

Galerius contra Christianos Imperator crudelissimus anno CCCIII. legem promulgavit, qua impe-

ratum est: ut omnes ecclesiae christianae dissolverentur, libri sacri comburerentur, vasa sacra contunderentur et principes dignitatibus amoverentur, ceteris capitibus servituti addictis. *a*)

Plerique Christiani, haec scripta tradere noluerunt, qua in re, qui perstabant Martyrum suppliciis afficiebantur, alii legatis Imperatoris imponebant veris falsa supponendo; alii denique scripta ipsa legatis tradebant, et hi quidem *Traditores* appellati sunt.

2. *Quae res in concilio Cirtae* (Constantinae) *anno* CCCV. *gestae sint?*

Undecim aut duodecim Episcopi Numidici, in hac urbe, non in templo, ut fieri solebat, nam hoc jam inter persecutiones praeteritas deletum erat, sed domo *Urbani Carisi*, mense Majo, convenerant, ut Episcopatui, qui morte Pauli vacuefactus erat, novum, Episcopum sufficerent.

Electus etiam hic est Sylvanus quidam.

Multis autem Episcopis, Secundus, Tigisis Ep. exprobravit eos Traditores esse, quod ingenue confessi sunt. Cum vero Secundus, Purpurium, Limatae Ep. ejusdem sceleris argueret, hic non solum sese defendit, sed quaesivit etiam e Secundo: quis tandem ipse esset..? qua tandem arte ipse, retentis libris sacris, libertatem obtinuerit? an non libros sacros tradiderit?... Postremo intellectum est inter

---

a) Eusebii, H. E. VIII, 2. Lactantius, de mort. persecut. cap. 12. Optatus, l. c. I, 13; III, 8. Dupin, Monum. pag. 146, 147, 151.

duodecim Episcopos quinque esse (Secundum Ep. Tigisis; Marinum Ep. Tibilis; Donatum Ep. Masculae; Victorem Ep. Russicadae; Donatum Ep. Calamae) eadem traditorum culpa obstrictos. Cum vero ecclesiae pacem turbare nollent, melius fore putaverunt, si totam causam silentio obtegerent eamque et Religioni unius cujusque et divinae providentiae committerent. (cf. *Optatus*, l. c. I, 14 et *Augustinus*, contr. Crescon. gr. Donat. Lib. III, 27, 28.)

Controversiae Donatistarum occasio ab Episcopo Carthaginiensi, in quo eligendo in partes abierant, enata est. Anno CCCX. *Mensurio* Ep. Carthaginiensi mortuo, *Caecilianus* Diaconus, a majori plebis parte, Episcopus electus et a *Felice* Ep. Aptungae consecratus est. *a*) Plerique Presbyteri, qui sine dubio similiter ad Episcopatum adspiraverant, potestati recentis Episcopi statim se subduxerunt. Maxime vero ipsi aliena fuit Carthaginiensis quaedam femina nomine *Lucilla*, quae in adversariorum principibus stabat. *b*)

Hoc initium erat dissidii in ecclesia Carthaginiensi, quod paulo post incredibili modo auctum est.

Ambitione et odio incensi omnia moliebantur, ut Caeciliani creationem funditus everterent. Ad

---

a) Optatus, l. c. I, 18.

b) Augustinus, contr. Crescon. III, 28.
Optatus, l. c. I, 16.

quod perficiendum *Lucilla* adeo divitiarum suarum partem impendere non dubitavit. *a*)

Septuaginta fere Episcopi e Numidia, in quorum numero etiam isti Traditores erant, Carthaginem arcessebantur, qui, non ad Caecilianum, sed ad adversarios transibant. Conventum agebant, et in eo preces, quas Caecilianus ad eos adhibuerat ut se Episcopum ordinarent, eoque legitimum Episcopum agnoscerent, non solum atrociter rejecerunt, sed etiam, instigante *Lucilla*, Lectorem quendam *Majorinum*, cui mulier jam favebat, loco Caeciliani Episcopum electum ordinarunt. *b*)

Qua iniquitate commissa, absolutum dissidium ecclesiae Carthaginiensis in duas partes factum est. Alterius Caecilianus, alterius Majorinus princeps erat. De hac nominatione Episcopi Numidici alias etiam ecclesias in Africa fecere certiores, in quas idem dissidium se propagavit. Caeciliano acerbe exprobratum est, nimis in eo eligendo festinatum esse, Numidicorum Episcoporum adventum expectandum, neve committendum ei fuisse, ut per *Felicem*, utpote Traditorem, ordinaretur; quin et ipsum, simul cum mortuo Episcopo Mensurio, Traditorem esse. *c*)

---

a) Augustinus, l. c. et IV, 7.

b) Optatus, l. c. I, 19 et 20.

c) Quod ad opprobria, quae Felici Aptungae Ep. factae sunt, clara innocentiae ejus testimonia exstant in:

Gestis purgationis Felicis Apt. Ep. apud Dupin, Monum. etc. p. 162.

cf. Augustinus, contr. Crescon. III, 70, et Optat. l. c. I, 19 et 27.

Anno CCCXIII. Africa romana sub Constantini M. Imperium redacta erat. Hic autem Imperator, Christianorum eximius fautor, non solum Caeciliani nominationem confirmavit, sed eum etiam, cum multis aliis, beneficiis accumulavit, insuper promittens, se controversiam, quae ejus causa exorta esset, auctoritate sua dirempturum. *a*)

Hoc consilio Constantinus ad Anulinum Africae Proconsulem duas dedit literas. *b*) Caeciliani autem adversarii Imperatoris consilia anteverterunt, quippe cum Anulino epistolas ad Constantinum traderent, quibus ab Imperatore petierunt, ut controversiam a Gallicis Episcopis disceptari juberet, quod in Gallia persecutio non admodum gravis fuerit, nec ulli Traditores ibi darentur. *c*)

Per hoc autem tempus, Majorinus jam mortem obierat, cujus factio *Donatum* quendam, cognomine Magnum, ei suffecit.

Hinc factum *videtur*, quod ejus factio (videtur, inquam; ambigitur enim utrum noster Donatus, an Donatus a Casis nigris Episcopus, acerrimus Caeci-

---

Quod ad Caecilianum et Mensurium, eorum purgatio manifesta mihi esse non videtur.

cf. Dupin, Monum. p. 240.

Augustinus, Breviculus Collat. Carthag. Collat. 3. diei cap. 13, 14 et 17. et contr. litteras Petiliani II, 92.

a) Eusebii, H. E. X, 6.

b) *Ejusdem*, H. E. X, 5 et 7.

c) Optatus, l. c. I, 22; III, 3.

Augustinus, Ep. 88. (in Tom. II. Opp.)

liani adversarius, nomen suum ei dederit) nomen *Donatistarum* induit.

Constantinus, qui precibus adversariorum Caeciliani annuerat, eam ob causam ad *Melchiadem* Episcopum et *Marcum* Presbyterum Romanum scripsit, praeterea tres Episcopos Gallicos:

Reticium, Augustoduno (Autun), *Maternum*, Colonia Agrippinensi (Cologne), et *Marinum*, Arelate (Arles), *a*) Romam arcessi jussit. *b*)

Ad Anulinum Proconsulem, Constantinus item scripsit, imperans: ut Caecilianus cum decem Episcopis e factione sua, et decem ex adversariis Romam venirent. In his etiam erat Donatus a Casis nigris *c*) Vix cum ambae factiones Romam pervenissent, tres Gallici et quindecim Italici Episcopi XV. Octobris anni CCCXIII. praesidente *Melchiade* Rom. Ep. in Palatio *Faustae* Imperatricis convenerunt. *d*) De tota causa relatum et quaesitum est, et tandem, triduo praeterlapso, decretum emissum: Caecilianum innocentem esse et Donatum a Casis nigris, qui jam antea Carthagine turbas movisset, ecclesiae societate excludendum esse. Donati autem amicis utrum ad fidem catholicam redire vellent nec ne, arbitrium relictum est. In iis oppidis ubi

---

a) J. J. Oberlini, Orbis antiq. monum. suis illustrati prim. lin. Ed. secunda 1790. p. 26, 41 et 33.

b) Eusebii, H. E. X, 5. et Duvalois, Annotat. ad h. l. Dupin, Monum. p. 189.

c) Augustini, Brevic. Collat. Carth. Coll. 3. diei, 12, 17.

d) Optatus, l. c. I, 24 et 25.

duo Episcopi essent, ei Episcopatum retinendum esse, qui jam diutissime munus administravisset. *a*) Acta hujus concilii ad Imperatorem transmissa, et ab eo confirmata sunt. *b*)

Donatistae indignabundi quod hoc judicium factum esset, denuo ad Imperatorem provocarunt. Contendebant autem, Romae rem non satis examinatam esse, ibi non satis multos adfuisse Episcopos, a quibus tam gravis causa disceptaretur. Iteratis igitur precibus enixe expetierunt, ut res denuo tractaretur. Imperator, cui ab initio res fortasse insolita videbatur, tamen precibus annuit. Imperavit igitur Episcopis Imperii sui, ut simul cum duobus Presbyteris et tribus servulis, ante mensem Augustum anni CCCXIV. publicis impensis, Arelatem se conferrent. *c*) Scripsit etiam ad *Ablavium* seu *Aelasium*, Praefectum suum Carthagine, ut Caecilianum et adversarios ejus cum Episcopis nonnullis utriusque factionis illuc dimitteret. *d*)

Mense Augusto anni CCCXIV, hi Episcopi convenerunt, quorum tamen non pauci Presbyterum loco suo miserant, praesidente Marino Ep. Aretalensi.

Verum et hîc Caecilianus crimine absolutus, Do-

---

a) Augustini, Epp. 43 et 105. (in Tom. II. Opp.)

b) Eusebius, l. c. Dupin, Monum. p. 181.

c) Dupin, Monum. p. 182. et Eusebius l. c.

Cf. Duvalois, de Schismate Donatistarum in Ed. Eusebii *Readingiana* p. 779. cap. VII.

d) Dupin, Monum. p. 181.

natus autem cum amicis condemnatus est. *a*) Neque etiam hoc judicium Donatistae approbarunt, postulantes contra, ut res ad Imperatorem ipsum deferretur. Hoc quoque factum est Mediolani anno CCCXVI, sed iterum Caecilianus ab Imperatore ipso absolutus est. *b*)

Quibus rebus non perterriti Donatistae tamen persuasum sibi habebant, injuria se affectos, suam quippe ecclesiam *unice* veram credentes, Caecilianum vero Traditorem esse, et ecclesiam, cui tam pravi homines praefecti essent, ea sanctitate esse non posse, quae veram deceat. *c*) Unusquisque ad ipsorum ecclesiam transiens repetito baptismate imbuebatur, quae res controversiae nova fomenta suggerebat. Quod cum Constantino relatum esset, ne omni quidem data opera ecclesiae pacem in Africa restitui posse, a. CCCXVII. legem tulit, qua edixit: ut, ecclesiis eorum eversis, ipsi e finibus Rom. Imperii exterminarentur. *d*)

In libello, quem Donatistae ad Imperatorem perferre potuerunt, audacter professi sunt: se nunquam in ecclesiam, in qua Traditores essent, redituros

---

a) Episcopi qui convenerant simul occasione ea ad unum et viginti canones de disciplina ecclesiastica et ritibus componendos usi sunt. Invenimus eos collectos in Harduini libro jam laudato Tom. I, p. 259 — 270.

b) Augustinus, contr. Ep. Parmeniani I, 6. et *Ejusdem*, contr. Litter. Petil. II, 16.

c) *Ejusdem*, in Crescon. I, 28. et de haeresibus (Tom. VIII, p. 16.)

d) *Ejusdem*, Epp. 88 et 105. (in Tom. II. Opp.) et contr. litter. Petiliani II, 92.

esse. Cum vero in eodem preces addidissent, ut ab exsilio reduces fieri sibi liceret, Imperator haud gravate hoc annuit. *a*)

Postquam vero reversi sunt, dici vix potest quam cito asseclarum accreverit numerus, ecclesias iterum exstruxerunt, Episcopique Donati, qui in exsilio decesserat, loco, alium nomine *Parmenianum* surrogarunt, et adeo passim injurias exercebant. Imperator Episcopos ecclesiae catholicae duabus epistolis consolari studuit, eosque excitare ut has miserias tanquam Numinis tentationes perferrent. *b*)

Donec Constantinus vixit, Donatistarum quies ab aulicis non turbata est. *c*)

His absolutis, secundum Caput hujus commentationis concludere mihi liceret, quippe cum occasionem concilii Arelatensis abunde demonstraverim. Attamen mihi concedatur summam controversiae paucis usque ad finem perducere.

Motuum et injuriarum, quas Donatistae saltem magna ex parte, vix ad societatem humanam reduces facti, exercuerunt, deplorabilia nobis exempla historia conservavit. Superbia elati, propter ecclesiae sanctitatem, atque odio contra adversarios abrepti, cupidine illius mortis generis, quo tam cele-

---

a) AUGUSTINUS, Brevicul. Collat. Carth. 3. diei C. 21 et 22. et EUSEBIUS, de vita Constantini M. I, 45.

b) DUPIN, Monum. p. 188. sqq.

c) OPTATUS, l. c. II, 4.

brati Martyres perire solebant, quod et ipsi ardenter affectabant, mox ad summam saevitiam et inhumanitatem progrediebantur. Nomen eorum est: *Circumcelliones.* (Circelliones, Circuitores.) Cum se solos sanctos esse putarent et saevo furore jactarentur, cum necis instrumentis terras pervagari, vexare, trucidare, spoliare omnes qui suae factionis non essent; sollicitare servos contra dominos, lubentissime excipere nepotes, quos ecclesia catholica excluserat, mortem sibi ipsi consciscere vel interfectores, quos carceribus eripuissent, eo adigere ut se ipsos occiderent. *a*) Profecto tristitia et horrore, si furoris et crudelitatis exempla, quae *Augustinus* exhibet, legamus, pectora perfunduntur. *b*)

Quid rei convenientius, quam quod mox contra hos furibundos homines milites emitterentur, qui eos ferro et gladio conciderent, quamquam dolendum sit, Donatistas meliores, qui a tantis sceleribus abhorrebant, simul cecidisse. *c*) Multorum quidem strage facta, tota tamen factio deleri nequivit. Brevi reconvalescens restauratis copiis pristinas turbas redintegravit.

Constans aliam viam ingressurus an. CCCXLVIII.

---

a) Genus mortis, qua perire solebant, hoc erat, ut montem ascenderent, et inde se in profunda dejicerent.

b) Augustinus, contr. Crescon. III, 42 et 43.

c) Optatus, l. c. II, 1; III, 4.
Augustinus, contr. litter. Petil. II, 92.
Dupin, Monum. p. 190. sqq.

duumviros reipublicae *Paulum* et *Macarium* in Africam misit, qui inter Donatistas stipem et dona distribuerent, ut hac benignitate ad quietem et societatem cum ecclesia catholica commoverentur. Hi iam Carthagine impedimenta offenderunt, quamquam viam penitius in Africam aperire iis permissum sit. Verumtamen *Bagaï*, oppido Numidico, acerrime iis obsistebatur. Donatus oppidi Episcopus ferocissimos circumcelliones in auxilium vocatos iis opposuit, qui duumviros prohiberent ne mandata exsequerentur; ita ut Macarius copias Imperatoris, quae in Africa stativa habebant, ad opem ferendam evocare cogeretur. Inter milites et circumcelliones ad manus ventum est, et cum multi illorum cecidissent, hac ignominia exacerbati istos fanaticos, magna strage facta, in fugam egerunt.

Macarius itaque nonnullos, veluti Donatum Bagaïensem, Marculum quendam et alios ultimo supplicio affici jussit, sed omnes confirmatis animis mortem obierunt, persuasum sibi habentes, contra falsam ecclesiam se dimicasse, nec nisi Martyrum mortem se obire. *a*) — Fama facinorum, quae Donatistae perpetrassent, ad aures Constantis perlata, severas contra eos edixit leges, quibus non solum angustis finibus circumscriberentur, sed etiam libertate Religionum exercendarum privaren-

---

a) Optatus, l. c. III, 1, 2, 4, 7; VI, 6.
Augustinus, contr. Parmen. I, 11. contr. litt. Pet. II, 39; III, 25.
Dupin, Monum. p. 194, 197.

tur. Tum demum quieverunt. Haec quies sub Constantis Imperio duravit, et jam credebatur, nomen ejus factionis sensim sensimque interiturum esse. *a*)

Juliano imperante autem Donatistae iterum templa occupabant. Utrum *Julianus* contra eos leges tulerit nec ne, non satis scio. *b*)

Jovianus etiam, per duos annos quibus sceptrum tenuit, eos non amplius coërcere potuit. *Valentinianus* autem, copias, duce Romano, contra eos proficisci jussit, *c*) et *Gratianus* iterum iis omnia templa eripuit. Inter has vexationes, inter ipsos Donatistas dissidia orta sunt. Exstiterunt enim factiones, quae modo *Urbanenses*, modo *Claudianistae* nominabantur. Causae autem dissidiorum et discrimina, quibus a reliquis Donatistis internosci possint, nobis ignotae sunt; *Rogatistae*, qui nomen a *Rogato* Cartennae Ep. traxerunt, moribus nobilioribus excelluerunt, neque his res erat cum caterva furiosa circumcellionum; sed hanc eandem ob causam ab ipsis Donatistis vexabantur. *d*) Carthagine etiam Donatistae propter electionem Episcopi, qui in Parmeniani locum sufficeretur, dissederunt. Primianus electus est, qui Diaconum Maximinianum, Donati Magni propinquum, ex-

---

a) Optatus, II, 15.

b) Optatus, l. c. II, 16; III, 3; VI, 5.
Augustinus, contr. Parmen. I, 12.

c) *Idem*, in litter. Petil. III, 25 et contr. Parm. I, 11.

d) *Ejusdem*, Ep. 93. (in Tom. II, Opp.)

clusit. Hinc dissidium ortum est, ut quondam Donatistae propter Caeciliani electionem in partes diversas abierant.

Eos qui de tota causa controversiae accuratius instrui cupient, ad *Augustinum* (in Parmen. III, 2. contra litter. Petil. I, 12. contra Crescon. III, 52; IV, 9.) et ad *Dupinii* Monumenta... p. 205 et 206, delego. Meum erat hanc controversiam tantum extremis digitis tractare.

Jam vero oratio mea ad gravissimam controversiae partem decurrit, qua sola, plures commentationes confici possent, ad eam nimirum: qua *Augustinus* Hipponensis Ep. cum Donatistarum factione congressus est.

Exeunte quarto et ineunte quinto seculo Donatistae frequentes et florentes erant, quippe in celeberrimis oppidis Africae etiam Hippone ecclesias habentes. Circumcelliones acerrime saeviebant, undecunque novitios factioni omni opere conquirentes. Simulac Augustinus, mortuo Valerio, Hipponensis Episcopus factus erat, officio sibi duxit, adversus Donatistas non solum conciones habere, sed etiam libellos conscribere. *a*) Cum vero hoc simulque concilio quod CCCXCIII. Hippone convocatum est, nihil proficeretur, Augustinus consilium cepit colloquendi cum ipsis, quod ei haud ita male successit. Colloquebatur enim cum Glorio,

---

a) Augustinus, Ep. 33. (in Tom. II. Opp.) et Psalmus AB C-darius.

Fortunio et aliis. *a*) Circumcellionum furore *Honorius* Imperator (an. CCCXCVIII.) permotus est, ut legem contra Donatistas ediceret, qua imperavit: ut ad fidem catholicam sponte redirent, obstinati autem in exsilium agerentur. Itaque multi Donatistae factionem deseruerunt, quorum fere quisque ignorabat, de quanam re ageretur; prima enim hominum stirps, in quibus excitata erat controversia, fere jam perierat. Ita transierunt ad ecclesiam catholicam. *b*) Severa lege *Honorii* et tot amicorum desertione Donatistae magis etiam irritati sunt. Circumcelliones iterum evagari, trucidare omnes qui fidem catholicam profiterentur, et adeo, ubi fieri poterat, templa eorum destruere. Denuo ecclesia catholica Donatistis colloquium offerebat, sed frustra. *c*)

Quapropter Episcopi catholici, Imperatoris auxilium implorare cogebantur. Ipsi an. CCCCVII. et CCCCVIII. Carthagine convenerunt, duos Episcopos, Theasium et Evodium, elegerunt, quos legatos ad Imperatorem miserunt, qui omnium nomine, contra Donatistas et praecipue contra furorem Circumcellionum auxilia postularent. *d*) Horum precibus commotus Honorius legem proclamavit

---

a) Augustinus, Epp. 43 et 44.
b) Dupin, Monum. pag. 210 et 212. et concilia, quae eam ob causam Carthagine, Mileve et aliis oppidis, habita sunt.
c) *Ejusdem*, Monum. pag. 212.
d) Dupin, Monum. p. 214. et Augustini, Ep. 93. (Tom. II.)

mavit, qua neque vitae neque bonis Donatistarum pepercit. Neque haec lex successu caruit, plurimi enim Donatistae ad fidem catholicam transierunt. *a*) Carthagine quies restituta esse videbatur. Nihilominus reliquiae Donatistarum in Africa satis magnae erant, et circumcelliones fanatici facinora exercere pergebant. Nihil enim nisi ultimis suppliciis affici pervicaciter studebant, quibus ad gloriam Martyrum pervenire sibi videbantur. Legatos etiam ad Imperatorem miserunt qui postularent, ut sua causa iterum tractaretur. *b*) Quies Carthagine etiam turbata est, iterumque auxilio Imperatoris opus erat. Honorius, loco severitatis, benignitatem adhibuit, omnibus, qui ad ecclesiam catholicam transituri forent, immunitatem a poenis pollicitus, contra obstinatos autem legum severitatem et in posterum valituram minitans.

Hac varia fortuna controversia usque ad annum CCCCXI. protracta est. Honorius in dies mitiores leges dedit, e. gr. cavendo, ne violenter ad societatem cum ecclesia catholica adigerentur. *c*) Qua Imperatoris benevolentia quasi animo commoti, Donatistae faciliores facti sunt, et ad colloquium, ab Augustino iis propositum, se paratos praebuerunt. Utraque factio Imperatorem accessit, a quo apparatus et auxilia ejusmodi colloquii peterent. *d*)

---

a) Augustini Ep. 185. et contr. Crescon. I, 5; III, 64.
b) Augustinus, Brevic. Collat. Carth. III, 4.
c) Dupin, Monum. p. 224.
d) Gesta Collat. I. No. 4 et 5.

Honorius precibus annuit, et hoc favore, magnanimitatem suam exhibuit, si quidem consideramus, eum bello cum Gothis detentum esse, et Gothos jam Romam occupasse. — *Flavio Marcellino*, qui in gestis *tribunus* et *notarius* appellatur, mandatum est: ut sub judicis persona, in Africam proficisceretur ad concilium ibi convocandum. *a*) Vix cum Marcellinus Carthaginem advenisset, fretus imperio Honorii, ad omnes Episcopos Catholicorum et Donatistarum scripto misit: ut intra spatium quatuor mensium Carthaginem convenirent, antea electis qui iis maxime idonei ad colloquium viderentur. *b*) Ambae factiones consultabant et res suas ad concilium apparabant. *c*) Mense Majo Episcopi utriusque factionis Carthaginem convenerunt. *d*) Episcopi Donatistarum, quorum 279. erant, cuncti simul portas Carthaginienses ingressi sunt, Episcopis Catholicorum, qui numero 286. erant, singulis intrantibus. *e*)

Cum numerus Episcoporum nimis magnus et simul inaequalis videretur, Marcellinus — cujus profecto, in tota hac causa mores nostram admirationem postulant, — iis proposuit, ut *septem Episcopi* utriusque partis eligerentur, qui verba facerent, et *septem alii*, qui consilii causa illis adderentur.

---

a) Gesta collat. I, No. 4.
b) Gesta cognitionis primae No. 5.
c) Augustini, Gesta cum Emerito. cap. 6.
d) Gesta cognit. prim. No. 14 et 29.
e) Augustinus, Brevic. Coll. Carth. cap. II. diei 1. C. 14. post Collat. cap. 24.

Praeterea cum res requirat, ut omnia, quae agantur calamo excipiantur, *quatuor* Episcopi cujusque partis ut chartarum custodes et alii *duo* ut scribae eligantur. Haec sententia ab initio Donatistis parum arrisit, sed denique ab his quoque obsequium praestitum est. *a*)

Episcopi, qui omnium sententiis eligebantur, secundum eorum recensum, quem

Ell. DUPIN Collectioni actorum hujus concilii sub titulo: Gesta collationis Carthagine habitae, Honorii Caesaris jussu, inter Catholicos et Donatistas coram Marcellino trib. et notar. — in supra laudatis Monumentis ejus pag. 225 — 325. intexuit, quae ego in hac commentatione adhibeo, sequentes sunt:

Ex parte Catholicorum.	*Ex parte Donati.*
Actores VII.	
1. Aurelius, Carthaginiensis.	1. Primianus, Carthaginiensis.
2. Alypius, Thagastensis.	2. Petilianus, Constantiniensis.
3. Augustinus, Hipporegiensis.	3. Emeritus, Caesareensis.
4. Vincentius Colu-seu Culusitanus.	4. Protasius, Tubiniensis.
5. Fortunatus, Constantiniensis.	5. Montanus, Zamensis.
6. Fortunatianus, Siccensis.	6. Gaudentius, Thamagadensis.
7. Possidius, Calamensis.	7. Adeodatus, Milevitanus.

a) Gesta prim. cognition. No. 10.

Brevi ante concilium habitum Catholici tolerantiae memorandum exemplum exhibuerunt. Scripserunt ad Marcellinum, si Donatistae causa vicissent, se ultro eorum imperium subituros esse, sin vero ipsi superiores evasissent, se Donatistas cum muneribus quibus ornati essent, in ecclesiam catholicam recepturos esse.

Cf. AUGUSTINI, Gesta cum Emerito.

Consiliarii totidem.

1. Novatus, Sitifensis.	1. Peregrinus, Suffetanus.
2. Florentius, Hipponensis Diarrhytorum.	2. Aptus, Turusitanus.
3. Maurentius, Tuburzicensis.	3. Clarentius, Tabracensis.
4. Priscus, Quidiensis.	4. Habetdeum, Aurusulianensis.
5. Serenianus, Meditensis.	5. . . . .
6. Bonifacius, Cataquensis.	6. . . . .
7. Scillacius, Scillitanus.	7. . . . .

Custodes Chartarum.

1. Deuterius, Caesareensis.	1. Victor, Hipponensis Diarrhytorum.
2. Leo, Moptensis.	2. Marinianus, Ocensis.
3. Asterius, Vicensis.	3. Veratianus, Carpitanus.
4. Restitutus, Tagorensis.	4. Victor, ...

Notarii.

1. Januarius, ...	1. Victor, ...
2. Vitalis, ...	2. Cresconius, ...

Jam omnia instituta erant, nec quidquam obstabat quominus in concilium coïrent.

Hoc factum est *primo die mensis Junii* CCCCXI. in *balneis* ita dictis *gargilianis.* Marcellinus Imperatoris legatus, septus magistratibus, ad locum se contulit et tunc Episcopos congregatos intrare jussit. Catholicorum duo de viginti electi, Donatistarum contra omnes 279. advenerunt. Numero utriusque factionis ad aequalitatem redacto, Episcopi Donatistarum sedilia occupare respuebant, nam adversarii consederant, ipsos vero fanatica superbia ne idem facerent, prohibebat.

Primo die Junii mandata modo scripta Episcopo-

rum praelegebantur *a*); secundus dies concilio vacabat. Tertio die Junii secunda vice convenerunt. Episcopi catholici exemplar primi concilii postularunt, quod Donatistae jam secundo die Junii fecerant. *b*) Praeterea nihil accidit.

Octavo die Junii tertio conventum agebant, cui concilio undecim tantum Donatistae Episcopi intererant.

Quis sit accusator? prima erat quaestio ... Decretum est Catholicos esse.

Secunda quaestio: an in vera ecclesia etiam pravi esse possint? Hoc concessum est.

Tertia quaestio: Quis dissidii auctor fuerit?

Donatistae contendebant: amicos suos in electione Caeciliani recte egisse, Caecilianum enim fuisse Traditorem, et societatem cum ecclesia, in qua Traditores essent, tollendam esse. Contra Catholici, prius concessam quaestionem: vera ecclesia etiam pravos contineri posse ... iis opponebant. Diu disputatum est; donec Marcellinus Episcopos utriusque partis discedere jussit.

Ipse hoc decretum fecit, quod vigesimo sexto die Junii publice proclamari jussit: Donatistarum causam injustam esse, templaque eorum Catholicis tradenda, vel iis horum jura concedenda esse: sin minus, summam legum severitatem contra eos adhibendam.

---

a) Gesta Collationis Carth. prim. dies.
b) — — — — — secund. dies.

Ita ad colloquium non ventum est et concilium in perpetuum dimissum. — Donatistae tamen acta subscripserunt, ea conditione, ut ad Imperatorem provocare ipsis liceret. An hoc quidquam profecerit ignotum est; parum tamen videtur, quippe Honorius Marcellini decretum confirmavit, et Catholici cognitionem hujus decreti, in quotcunque terras poterant divulgarunt. *a*)

Multi Donatistae et Circumcelliones ad ecclesiam catholicam sponte transierunt, multi tamen tacite opinionem suam foverunt. *b*) Catholici eorum judicio factio impura erant.

Quod cum Honorius rescivisset, contra Donatistas severam legem promulgavit, qua iis, qui ecclesiae catholicae se adjungere nollent, mulctas et exsilia minatus est. Hinc accidit, ut Donatistae partim sese latebris absconderent, partim e terris suis abirent, Circumcellionum tamen furor in spoliorum caediumque enormitatibus multo audacius processit. *c*) Ab altera parte contra vexatores acerrime saevitum sanguisque hîc et illic abundanter profusus est.

Marinus dux Imperatoris, qui turbarum componendarum gratia in Africam profectus erat, etiam legatum Imperatoris Marcellinum supplicio affici jussit. Quod num Donatistis auctoribus factum sit; non

---

a) Gesta collat. Carthag... Cum Gestis confer:
AUGUSTINI, Brevicul. collat. cum Donat. (Tom. IX. Opp. pag. 371 — 394) et: Post collat. ad Donat. p. 395. sqq.

b) AUGUSTINUS, contr. Gaudentium, L. I, 29.

c) *Idem*, contra Gaudentium, I, 39.

satis liquet. Honorius de die in diem severiores leges tulit, quibus imperavit ut, Marcellini decretum observaretur, *a*) sed ne his quidem effectum est, ut Donatistae e medio tollerentur.

Concilia eorum causa habita sunt, et *Augustinus* cum Episcopo quodam ex iis *Emerito* Caesareae collocutus est, sed itidem frustra. *b*)

Valentinianus III. acerbiores etiam leges promulgans Religionibus exercendis eos interdixit, sed effectu haud meliore. Vandali hoc tempore in Africam irrumpentes domicilio eos expulerunt, et circa VII. seculum reliquiae radicitus evulsae esse videntur.

---

a) Dupin, Monum. p. 330.

b) Augustini, Gesta cum Emerito.

Ex proposito ea tantum quae ad controversiae historiam pertinent, huc refero. Quoad vero dogmata et aberrationes a regula fidei, hoc unius cujusque arbitrio relinquo, qui Donatistarum historiam propriae commentationi consecraverit.

CAPUT TERTIUM.

Forma et interior natura conciliorum hujus periodi.

Quod ad hujus periodi formam et interiorem rationem conciliorum attinet, nonnisi pauca mihi dicenda restant, quippe cum historia horum temporum fere nihil, quod hîc spectet, nobis reservavit. Jam Capite primo demonstrare conatus sum, concilia neque a Deo neque ab Apostolis profecta, sed ex civilium institutorum forma civitatum Graeciae orta esse; nullum vero concilium universale, sed omnia particularia fuisse.

Haec concilia secundi seculi a Christianis pro remediis habebantur, quibus pax ecclesiae restauraretur. Sancta ea, saltem venerabilia habita esse TERTULLIANUS manifeste declarat. *a*) Dicit enim: Christianos ad haec concilia, pro more recepto, precationibus et jejuniis sese praeparasse. At semel quotannis convenerunt etiam si nihil gravioris mo-

a) De JEJUNIIS, cap. XIII.

menti accidisset. *a*) Sin autem aliquid morae impatiens interveniebat, concilium quovis tempore poterat haberi. Ad hujusmodi concilia ubi sine dubio eae tantum res tractabantur, quae ad commodum totius ecclesiae vel Provinciae spectabant, Episcopi ecclesiarum, Ministri et Laïci, cum antea amice invitati essent, in locum definitum convenerunt; peregrini quoque Episcopi qui eo tempore ibi aderant, invitati sunt. Quin et Episcopi peregrini, qui doctrina et subtilitate in controversiis componendis excelluerunt, arcessebantur. Episcopus loci ubi concilium agebatur, vel is quem omnes elegissent, vel is qui diutissime munus administrasset, praesidium gerebat. Retulit de controversia vel errore, librorum sacrorum locos selegit quibus regulis uterentur, suffragia legit quae unusquisque dederat; majori horum numero praevalente, et primus erat qui decreta subscriberet. Auctori controversiae vel erroris ubi aderat, ingenue se defendere licebat; imo et alii, quos singuli Episcopi condemnaverant, ad hoc concilium provocare poterant. Sub finem concilii e rebus gestis, quae conscriptae erant, excerpta addito ipso decreto, cui subscripserunt, ad alias ecclesias dimissa sunt.

Haec decreta in ecclesiis Provinciae, in qua conventus agebatur et quorum Episcopi concilio interfuerant, magna auctoritate gaudebant. Progressu temporis cum Imperatores Religionem christianam

---

a) Cypriani, Ep. 75.

amplexi fuissent, haec concilia, quorum ratio ab initio simplicissima fuerat, variis modis desigurabantur, ita ut potius *judicio civili* quam conventui doctorum ecclesiasticorum comparari possent. Ipse Imperator conciliis a se edictis Episcopum praesidem elegit, legatos ad ea misit, qui suo nomine res gererent, scribas constituit, qui res gestas accuratissime conscriberent; omnia acta, prius quam valerent, ab Imperatore confirmari necesse erat, ac ita nobilis illa simplicitas, quae quidem jam antea gliscente Episcoporum dominandi cupidine diminuta fuerat, plane interiit.

Ad finem hujus commentationis pauca tantum addere liceat, quibus dominationis ecclesiasticae specimina summatim contineantur.

Statim cum primae ecclesiae conderentur, unicuique erat suum forum. Omnia, quae gravioris momenti essent, per ecclesiam ipsam componebantur, unusquisque ibi suffragium suum ferre poterat, decreta quae facta essent, concedente ecclesia, tolli, saltem mutari poterant. Primae Christianorum ecclesiae aequali jure gubernabantur — privilegia, quibus ecclesia Hierosolymitana aut Antiochia fruebatur, pariter vilissimo pago Numidiae competebant. Ecclesiae sibi invicem, in rebus dubiis, consiliis datis opitulabantur, sed tamen ei ecclesiae, quae consilium petierat, arbitrium obsequendi vel non obsequendi permissum erat. Conciliis vero institutis plures ecclesiae *unam formam* induerunt, nunc controversiae et errores, non unius ecclesiae

sed multarum judiciis diremptae sunt, nunc suffragia Laïcorum, — qui in sequioribus conciliis plane excludebantur — a judicio Episcopi sui pendebant, vel adeo Episcopus totius ecclesiae agebat res; nunc non amplius consilia amica dabantur, sed imperabatur; nunc — saltem circa medium III. seculi — decreta facta tanquam divina instituta, sine ambagibus accipi necesse erat, nunc Antiochia, Hierosolyma, Roma, Alexandria, Provinciarum capita, auctoritate reliquis ecclesiis praevaluerunt, harum urbium Episcopi mox soli erant, quibus praesidium concessum est; ut brevibus dicam: *concilia tanquam commune tribunal, ecclesiis data sunt:* singularum ecclesiarum privilegia oppressa, et communia accepta sunt. Auctoritas Episcoporum urbium capitalium super reliquos Episcopos elata est, quo ex mutato statu rerum Metropolitanarum et Patriarchalium potestatum origines unice duci posse videntur.

FINIS.